BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Campanella, Tommaso

Campanellae Ordin. Praedic. Astrologicorum Libri VI. Jn Qvibvs Astrologia, omni superstitione Arabum, & Iudaeorum eliminata, physiologice tractatur, Secundum S. Scripturas, & doctrinam S. Thomae, & Alberti, & summorum Theologorum; Ita vt absque suspicione mala in Ecclesia Dei multa cum

Lvgdvni 1629

4 Astr.p. 74
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10049098-8

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10849098

4° Astr. P. 74.

Astr. P. 74.

CAMPANELLÆ
ORDIN. PRÆDIC.
Astrologicorum Libri VI.

IN QVIBVS

Astrologia, omni superstitione Arabum, & Iudæorum eliminata, physiologicè tractatur,

Secundùm S. Scripturas, & doctrinam S. Thomæ, & Alberti, & summorum Theologorum;

Ita vt absque suspicione mala in Ecclesia Dei multa cum vtilitate legi possint.

R



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi, Andreæ, & Matthæi Prost.

M. DC. XXIX.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

INDEX EORVM
QVÆ HOC VOLVMINE TRACTANTVR.

PRÆFATIONE Astrologiam physicam secernendam à superstitiosa docetur: nec per illam euerti diuinam prouidentiam potentiámque Dei: nec humani arbitrij libertatem: & quod partim sit scientia, partim coniectura, partim suspicio, sicut medicina: & quomodo in eâ procedendum: & stellas agere quadruplici modo in inferiora: & quibus authoribus in ea vtendum.

LIB. I.

Cap. 1. A planetarum, & fixarum, & inferiorum varietate, mutationum rerum inferiorum causas, & initia sumi oportere. pag. 11

Cap. 2. *Art.* 1. De planetis in communi. 12

2. De planetarum natura speciatim. 13

3. De fœlicitate & infœlicitate planetarum. 14

4. De temporaneitate planetarum. 15

5. De sexu planetarum. ibid.

6. De amicitia & inimicitia planetarum. 16

Cap. 3. De planetarũ passionibus prout ad suos orbes conferuntur. 16

Cap. 4. *Art.* 1. De cœli spatiis partibusque, prout planetæ in eis várias exercent erga nos operationes simul cum illis, vel illæ solæ ob fixarum situm. 19

2. De Zodiaci figuris. 21

3. De Zodiaci diuisione secundum quam annus diuiditur: quod est tempus quo ipsum peragrat Sol. 22

4. De quartis anni subpolaribus & æquinoctialibus. 24

5. Alia Zodiaci diuisio. 25

6. & 7. Duæ aliæ Zodiaci diuisiones. 26

8. De antiscis. ibid.

9. De imperantibus & obedientibus diuisio quinta. 27

10. De coniunctis & inconiunctis diuisio sexta. ibid.

11. De sexu penes quem sumitur septima diuisio signorum Zodiaci. 28

Cap. 5. De stellarum declinationibus & latitudinibus. 28

Cap. 6. De variabili stellarum situ ex mutatione cœli variabili, vnde figuræ eriguntur. 31

Cap. 7. *Art.* 1. De planetarum dignitatibus. 33

2. De

INDEX.

2. De domibus eorundem. ibid.
3. De domibus planetarum erga subpolares, & æquinoctiales, & æquidistantes nobis ab æquatore incolas. 35
4. De exaltationibus planetarum. 37
5. De triplicitatibus eorundem. 39
6. De terminis eorundem. 41
7. De carpentis. 43
8. De persona. ibid.
9. De gaudio. ibid.
Cap. 8. De planetarum passionibus, prout ad Solem conferuntur. 43
Cap. 9. De planetarum inter se habitudine ex situ proueniente. 46
Cap. 10. *Art.* 1. De planetarum inter se & cum fixis configuratione, & aspectu. 47
2. De platicis aspectibus, eorúmque passionibus. 51
3. De quibusdam aliis passionibus applicationum & defluxuum. 53
Cap. 11. De fixarum natura, & dominio, & actione super inferiora, per se, & cum planetis. 53

LIB. II.

De magnis rerum humanarum mutationibus, initiis, & causis.

Cap. 1. Quibus ex causis, principiis, & signis cœlitus sit prognosticandum. 55
Cap. 2. *Art.* 1. Dissertatio de dominiis planetarum iuxta opinionem authoris, & Arabum per climata, & Ptolemæi per triangulos super omnes regiones mundi: & de Arabum errore, & Ptolemæi insufficientia. 56
2. De moribus gentium ex Ptolemæo per triangulorum dominos. 60
3. De moribus gentium ex signorum dominantium natura. 63
4. Quod signum cui prouinciæ dominetur secundum Ptolemaicos triangulos interiores, exterioresque. ibid.
5. Examen eiusmodi dominiorum. 64
Cap. 3. *Art.* 1. Quamuis Deus inferiora mutet: non tamen sine causis secundis id fieri. Et quod Ptolemaici de imperiorum & sectarũ mutationibus ex trigonis dixerunt insufficiens esse. 66
2. De dominio planetarum super prouincias ex authoris dogmate: similiter & signorum: & de translationibus imperiorum, & religionis, & artium, propter Solis & obliquitatis & absidum & fixarum mutationem. 69
3. De cæteris causis & initiis mutationum, & modis, & veritatibus eorum. 74
4. Præter alia principia mutationum, rationem anomaliarum esse habendam, concordiamq; eius cum mutationibus magnis. 76
5. De dominiis planetarum & signorum super prouincias & ciuitates agnoscendis iuxta authoris dogmata, quamuis translatis cœlestibus causis. 78
Cap. 4. *Art.* 1. De eclipsium indicationibus & affectione. 79
2. De loco afficiendo à causis sidereis in eclipsi. 80
3. De principio & duratione effectus. ibid.
4. De generibus rerum afficiendarum. 81
5. De signis afficientibus. ibid.
6. De planetis dominis & fixis erga genus afficiendum. 82
7. De aliis indicationibus afficiendorũ ex signis cœli specialius. ibid.
8. De magnitudine effectus. 83
9. De qualitate effectuum ab agentibus in eclipsis dominis, ibid.
10. De qualitate effectus ex patientibus

tibus communibus & singularibus. 86
11. Iudiciũ eclipsium ex coloribus. 88
*Cap.*5. *Art.*1. De cometarum & ignitarum impressionum indicatione & effectione. 89
2. De colore cometarum. 90
3. De splendore eorundem. ibid.
4. De loco eorundem. 91
5. De forma. ibid.
6. De diuturnitate. 92
7. De tempore effectus. ibid.
8. De habitu ad Solem. ibid.
9. De situ. ibid.
10. De motu. 93
11. De figuræ erectione in apparitione cometæ,& varia effectione ex illa. ibid.
12. Quod cometæ non inaniter putantur afficere res humanas.ibid.
13. De nouis stellis. 94

LIB. III.

De mutationibus temporum in elementis.

*Cap.*1.*Art.*1. Dicendum esse de mutationibus elementorum à cœlo,& de effectibus harũ mutationũ.96
2.De anno,eiusque principio,& quartis. ibid.
3. De quartis anni speciatim. 97
4.Iudiciũ ex quartis anni specialius.98
*Cap.*2. *Art.*1. De iudicio quartarum anni & mensium , & signorum natura, & fixarum. 99
2. Examen decretorum Ptolemæi de natura signorum. 100
*Cap.*3. Prognostica ex quartis anni, primumque ex vere. 102
2. Prognostica ex æstate. 103
3. Prognostica autumni. ibid.
4. Prognostica hyemis. 104
5. Varia item prognostica in quartis anni. ibid.
*Cap.*4. *Art.*1. De mensium prognosticis. 105
2. De quartis mensis. 106
*Cap.*5.*Art.*1. De dierum prognosticis. 107
2. Prognosticum ex syzygiis planetarum speciatim , & primò ex Saturno. 108
3. Ex Ioue. ibid.
4. Ex Marte. 109
5. Ex Venere. ibid.
6. Ex Mercurio. ibid.
7. Prognosticum ex apertione portarum. ibid.
*Cap.*6. Prognosticum de horis dierum. 110
*Cap.*7. *Art.*1. Prognosticandum insuper ex accidentibus inferioribus ad superiora sidera collatis , tanquam ex signis & concausis temporum. 112
2. Prognosticum ex inferioribus à Sole. ibid.
3. Ex Lunæ accidentibus. 113
4. Ex fixarum accidentibus erraticarumque stellarum. 114
5. Ex iride. ibid.
6. De ostentis cœli. 115
7. Ex nubibus. ibid.
8. Ex corporibus aliis : & primò ex igne. 116
9. Ex aquis. ibid.

LIB. IV.

De natiuitatibus.

*Cap.*1.*Art.*1. Cur iudicium de vita & morte ex puncto natiuitatis sumatur ab astrologis. 117
2. De horoscopo. 118
3. De figuræ erectione , & partitione, & quæsitis in singulis domibus, & planetis significatoribus. 119
*Cap.*2.*Art.*1. De parentibus nati. 121
2. De fratribus & sororibus. 124
*Cap.*3.*Art.*1. De sexu. 125

2. De partu geminorum. ibid.
3. De monſtris. 126
4. De iis qui non nutriuntur. 127
Cap. 4. *Art.* 1. De vitæ ſpatio ſuperuiuentium agnoſcendo. 128
2. De aphetæ principalis vitæ gubernatoris electione. 129
3. De vitæ dimenſione per directionem aphetæ ad interfectores. 130
4. De interfectore & tempore interfectionis in directione conuerſa. 131
5. De interfectoribus & interfectionis temporibus in directione recta. 132
6. Diuerſæ rationes euadendi & certificandi mortem, & malos euentus, ex occurſu maleficarum vario. 133
Cap. 5. *Art.* 1. De forma & temperatura corporis generaliter. 134
2. De eodem ſpeciatim ex planetis ſignificatoribus & qualificantibus. 135
3. De eodem ex quartis anni. 136
4. De eodem ex ſignis ſtellatis. 137
Cap. 6. *Art.* 1. De vitiis ex morbis corporis generaliter. 138
2. De natura vitij, morbique, & partibus affectis à ſignis. ibid.
3. De eodem à planetis ſignificatoribus, vel qualificatoribus. 139
4. De vitiis ſpeciatim. 140
5. De cæcitate. ibid.
6. De ſterilitate. 141
7. De linguæ impedimento. 142
8. De claudis, gibbis, & contortis. 143
9. In cute. ibid.
10. De morbis ſpeciatim. 144
11. Ex planetis morborum authoribus & qualificatoribus. ibid.
12. Ex ſignis cœli de eiſdem. 145
13. De ſanabili, inſanabili, & tegibili. ibid.
Cap. 7. *Art.* 1. De qualitatibus animi generaliter. 146
2. De eodem ex locis, ſeu ſignis. 147
3. De eodem ex dominis locorum qui dominatores & qualificatores dicuntur. ibid.
4. De locorum dominis, ſeu morum gubernatoribus ſigillatim. 148
5. De eodem ex configuratis ad locos, dominoſque locorum. 154
Cap. 8. *Art.* 1. De vitiis & morbis animi redundantibus ex temperamenti & ſpirituum animalium paſſionibus à cælo, generaliter. 155
2. Specialiter de iiſdem. ibid.
3. De ſanabili, inſanabili, tegibilique. 156
4. De vitiis in re venerea ſpeciatim. 157
5. De eodem regulæ ſpeciales. 158
Cap. 9. *Art.* 1. De coniugio & prius de vxore. 159
2. De qualitate vxoris. 160
3. De marito. ibid.
4. De qualitate mariti. 161
5. De conuictu coniugum. ibid.
6. De conuictu concubinario. 162
7. De vi & moribus concumbendi. 163
Cap. 10. *Art.* 1. De filiis. 164
2. De filiorum ſplendore & obſcuritate. 165
3. De habitu filiorum ad parentes. ibid.
4. De filiorum inter ſe habitu. 166
Cap. 11. *Art.* 1. De amicis & inimicis. 167
2. De eo qui eſt cauſa amicitiæ & odij. ibid.
3. De lucro & damno alterutrius. ibid.
4. De tempore quo amicitia & inimicitia temporanea contrahitur. 168.
5. De fundamentis amicitiarum & inimicitiarum. ibid.
6. De magnitudine & firmitate amicitiæ

citiæ & odij. 169
7. De commoditatis agnitione ex illis. ibid.
Cap. 12. De seruis. ibid.
Cap. 13. *Art.* 1. De fortunis & diuitiis. 170
2. De multiplici fortunatione. 171
3. De diuitiis & mendicitatibus peculiarius. 172
4. De occasione, fundamento, & qualitate diuitiarum ex dominis fortunæ. ibid.
5. De eodem ex configuratis astris ad fortunam & dominos eius. 173
6. De tempore diuitiarum. 174
Cap. 14. *Art.* 1. De dignitatibus & honoribus generaliter. ibid.
2. De dignitatibus acquisitis testimonio astrorum. 175
3. Ex dignitatibus causa, robore, & qualitate. 177
Cap. 15. *Art.* 1. De opificio. 178
2. De subiectæ materiæ proprietate in opificio ex signis. 179
3. De qualitate opificij à gubernatoribus. ibid.
4. De qualificatione ex planetis sigillatim. 180
5. De eodem vbi adsunt duo qualificatores, & cum configuratione aliorum. 181
6. De magnitudine, claritate, & obscuritate opificij. 182
7. De tempore vtilitatis opificiorum. 183
Cap. 16. *Art.* 1. De peregrinatione & itineribus. ibid.
2. De sitibus erga quos significatur peregrinatio. 184
3. De magnitudine & breuitate itinerum. ibid
4. De fortunatione & qualitate itineris. ibid.
5. De causis itinerum. 185
6. De tempore. 186
Cap. 17. *Art.* 1. De mortis qualitate generatim. ibid.
2. De mortis qualitate ex prothanatorum natura sigillatim. ibid.
3. De morte violenta generaliter. 188
4. De violenta speciatim ex Saturno. ibid.
5. De violenta morte ex Marte. 189
6. De violenta ex duplici malefica. 190
7. De morte extra patriam. ibid.

LIB. V.

De temporibus euentuum sidereorum.

Cap. 1. *Art.* 1. Præter causas vniuersales, particulares simul in euentuum temporibus, & ratione, considerandas esse. 192
2. De euentuum temporibus in genituris. 194
3. De ætatum ratione. ibid.
4. Examen prædictorum de ætatibus. 195
Cap. 2. *Art.* 1. De directionibus tempora euentuum declarãtibus. 198
2. Considerãda esse tria in directione, videlicet significatorem, promissorem, dispositorem, & his configuratas stellas, & alia quæ anticipant & postponunt euentum. 199
3. De forma dirigendi apheras. 200
Cap. 3. *Art.* 1. De progressionibus annuis. 203
2. De progressu menstruo. 204
3. De progressu diario. 205
Cap. 4. De ingressibus. ibid.
Cap. 5. *Art.* 1. De subiecto euentus. 206
2. De fœlicitate & infœlicitate euentus. 207
3. Quando certius & magis eluceſcet euentus. ibid.
4. De euentus magnitudine. 208
5. De reuolutionibus. 210

INDEX.

LIB. VI.

De electionibus sideralibus.

Cap. 1. Naturali ratione, & diuina authoritate, scientiam de electionibus esse veram, necessariamque physicis, nec damnandam. 212

Cap. 2. *Art.* 1. De electione siderali in sacris. 214

2. Vtrum oratio requirat sideration nem. ibid.

3. De electione in philosophando. 216

Cap. 3. *Art.* 1. De electione in corporis regimine. 217

2. De medicinæ corporalis electionibus. ibid.

3. In generatione. 219

4. In animalium generatione. ibid.

Cap. 4. *Art.* 1. De regnis, & ciuitatibus, & republica. 220

2. De electione legis ferendæ. 221

3. De loco mutando. ibid.

4. De electione prælij. ibid.

5. De ædificiorum electione. 222

6. De nauigationis electione. 223

7. De itineris electione. ibid.

Cap. 5. *Art.* 1. De agriculturæ electionibus. ibid.

2. De lignorum sectione. 226

3. De electione in contractibus. ibid.

Cap. 6. De dierum electione. 227

Cap. 7. De electionibus generaliter. 232

FINIS.

ASTRO

ASTROLOGICORVM LIBRI VI.

ASTROLOGIAM PHYSICAM ſeparandam à ſuperſtitioſa, nec per illam euerti prouidentiam potentiamq; Dei, nec humani arbitrij libertatem: & quomodo partim eſt ſcientia, partim coniectura, partim ſuſpicio, ſicuti medicina: & quomodo in ea procedendum: & ſtellas agere quadruplici modo in inferiora: & quibus authoribus ſeu potiùs obſeruatoribus vtendum in ea.

PRÆFATIO.

VNC homo diuinitatis ſuper omnia optatiſſimè perſentit ſe eſſe participem, cùm aut Deo & ſuperis copulatur; vnde mirificentiſſimas affectiones & intuitiones rerum ſupramundanarum adipiſcitur: aut futurorum notitiam, quæ ſolius Dei eſt, quoquo pacto acquirit. Propterea q; omnes diuinatoriæ ſcientiæ quamuis nugaces appetuntur nimis. Siquidem & falſas ſui laudes homo amplectitur pronis animis, & amaſiæ imagines & vmbras exoſculatur. Hæc affectio ratione ſuperiori nil regulata in varios nos trahit dirósque errores: ita vt etiam ſigna rerum, tanquam cauſas, & res viliores ſe, tanquam meliores, homines

venerentur. patet hoc in disciplinis Gentilium, qui aues adorant tanquam deos, & flumina, & serpentes,& lapides, & arbores, vbi quid diuinitatis inspiciunt : insuper & passiones ipsas : nam & pallorem & tremorem templis tanquam deos Romani venerati sunt. Nil mirum si & sydera, quæ causæ sunt manifestæ omnium mutationum inferiorum tanto honore apud gentes colantur. Ex his enim effectus rerum scire, & præscire datur plurimos.

At cum manifestum sit sidera non habere in animo, vt fiant quæ fiunt, sicuti neque ignis, qui de siderali natura est, neque tellus, aliud quàm ignem & tellurem facere satagunt (verùm dum pugnant quodam fato,idest causarum concursu, & necessitate fit, vt harmonicè producant animalia,plantas,lapides,liquores, & cæteras res, quæ rerum vniuersitatem integrant, & variis vsibus mutuísque iuuant;)hinc etiam eluceſcit, causas nobiliores esse in mundo quæ sideribus & elementis vtuntur ad rerum productionem,& transmutationem. Sicuti ferrarius vtitur igne, malleo,incude,lima, &c. ad gladij fabricam concinnam, vtilémque suo fini. Primam causam inuenimus in Metaphysica quam Deum vocamus : secundas verò intelligentias executrices eius prouidentiæ in elementis agnouimus. Dicere enim sidera corporea esse rerum causas principes idem est, ac si quis ensis & ligonis faceret causam ignem, & malleum, non autem fabri mentem & opificis peritiam. Hæc eadem ex sacris scimus oraculis, & à prima causa edocti sumus in schola eius quemadmodum oporteat in diuinationibus incedere, ne erremus,& ad idololatriam paulatim,sicuti Chaldæi,& Ægyptij,& Græci olim,prolabamur.

Cum autem viderem alios hanc scientiam, vt fallacem, nominéque scientiæ indignam, imò dæmonibus subditam explodere non rectè,cum manifestum sit, dæmones non posse ordinem vniuersi immutare, neque sideribus situm alium dare neque vires: eadémque ratione medicinam longè prius explodendam esse, in qua verè dæmones misceri & dira facere compertum est posse: itémque pateat à Sole quatuor anni tempora nobis fieri, & in illis secundarum rerum productiones certas : itémque à Luna menstruas & diarias immutationes,dum Soli & Planetis configuratur; ita vt cogat medicos,nautas, & agricolas sui rationem habere (sic cæteros planetas annos suos planetarios & menses habere putandum :) præterea in lapillis syderum formas, vt Pleiadum in sandastro, numero & dispositione expressas,& in herbis sympathiam

cum

cum Sole & Luna quibuſcum conuertuntur & cum aliis Planetis: (vnde heliotropium,& lupinum motum longitudinis Solis,& horas indicant: vlmus verò,ſalix,tilia,populus, olea motum latitudinis inter tropicos ſua conuerſione oſtendunt,vna cum ſolari facta:) ſíntque animalia,quæ cum Lunæ varietatibus variant colores in India;quemadmodum & in Hibernia corrigiæ de porcelli marini piloſi corio factæ erigunt & demittunt pilos ad fluxum & refluxum maris Solis rationem ſequentis:ipſæque formicę,& apes ſiderum & Lunæ rationem quandam vel ex ſola paſſione ſectentur: maria verò fluxum & refluxum diarium à Sole, menſtruum à Luna habeant: multíque fontes quaſdam à ſideribus rationes ſortiantur:& infirmitates humanæ ſideribus ſint obnoxiæ,omnéſque mutationes ad mutantes cauſas ſtellas prouocent, licèt occultas nobis in aliis,in luminaribus notiſſimas:Ex altera verò parte alios viderem ſic Aſtrologiæ deditos,vt omnia ſideribus humana atque diuina, non ſecus ac Macchiauelliſtæ rationi politicæ, ſubiiciant: quod faciunt Arabes,& olim Gentiles,contra quos iuſtè S. Ambroſius in Hex. & S. Auguſtin. ſuper Gen. inuehuntur (quis enim ſubdat artificem ſuis inſtrumentis? aut liberum mancipio? Corpora enim agunt mota, & agitata à cauſis nobilioribus arbitrariis. Hominem autem ita liberum video, vt nullis tormentis, & mortibus, ſi nolit, poſſit vinci. quantò ergo minus à ſideribus, quæ non ſic atrociter premunt? Itémque ſi corpus vrunt voluntatem non attingunt,cum ſit primalitatis proles,vt in Metaphyſica demonſtrauimus. Quare vtrunque ſtultum, Deum, aut libertatem fato aſtringere, aut pro certis omnia iudicare; ait Salomon: quod omnis ſcientia eſt à prima ſapientia, & politica, & phyſica, & logica eius ancillis. Addit autem de Aſtrologia ſic, *Scit præterita, & de futuris æſtimat; ſigna quoque & monſtra antequam fiant, & euentus temporum & ſæculorum:* & hoc verè, vt dicemus, partim demonſtratiuè, partim, ſicuti & Medicina, æſtimatiuè, vt ſunt:) Propterea Aſtrologiam ſcribere decreui iuxta phyſicas regulas, quæ poſſint in Eccleſia Dei abſque ſuſpicione legi.

Nam quamuis S. Auguſtinus (mathematicorum, vt videtur, expers: nam & Antipodas eſſe negat,& de ſitu rerum aberrat)antiquis magis conceſſam fuiſſe Aſtrologiam dicat,donec Chriſtum in ſideribus præſignatum,vt prophetarat Balaam, agnouerunt: at poſt eius aduentum nobis per Prophetas edoctis, id non ſic licere:

non propterea ſtatim à noſtro cadimus propoſito. Ille enim vir ſanctus quamuis afflatus ſydereos comprobet in lib. de conf. timuit hominum fragilitati (vnde etiam Eccleſia quædam vetat vt mala,quædam vt periculoſa,teſte Caietano & D.Thom.)putauítque dæmones poſſe huic arti immiſceri , dum vel ſuſpicio vel nugacitas interſit, vt declarat S.Thomas in libro de ſortibus:quando nimirum neque à cauſis neque ab effectibus , neque à ſignis certis ſecundum authorem naturæ procedimus in ſcientia, (vnde à dæmone illudi meremur :) vel ſi quis putet ſydera eſſe Deos , vt S.Ambr. monet,aut libertatem noſtram illis directè ſubditam eſſe:aut quia potius Deum quàm ſydera conſulendum putauit Auguſtinus viro Chriſtiano ſanctóque. Verum cùm S. Hieron. in prologo Bibliorum Aſtrologiam æquè atque Aſtronomiam inter ſcientias vtiles , quod & Salomon facit , enumeret ; nec vtilitas eius poſt Chriſtum in phyſicis ceſſauerit (neque enim agricola & nauta & medicus oraculis & miraculis vtuntur , ſed phyſica peritia :) & Chriſtus nobis,nedum Balaam, iterum ſyderum obſeruationes indixerit , vnde ſciamus futura eius iudicia (Nam erunt, ait,ſigna in ſole, & luna , & ſtellis,& virtutes cœlorum mouebuntur,& ſtellæ de cœlo cadent :) & Paulus Apoſtolus iubeat,nos vigilare ſuper iudiciis Dei , & ſignis datis, ne dies Domini ſicut fur nos in nocte dormientes comprehendat ; quæ neſciuntur abſque notitia mutationum quæ fiunt in cœlo, vt apogæorum, obliquitatis,excentricitatum,æquinoctiorum,& huiuſmodi,vnde innumeri effectus , & continuæ ſuccedunt mutationes extraordinariæ : nec iſta ſunt nota,niſi vigilantibus : propterea ſtudium aſtrologicum non puto intermittendum. Nam ex phyſicis ordinariis cœli affectibus,quæ non ſunt ordinaria deprehendimus,& ſigna à Deo data perueſtigamus ; neque enim data ſunt,niſi vt vigilemus. Quod mirificè cœpit Copernicus in hoc ſæculo, meliùs quàm proſecutus Thyco , altiùs verò Galilæus. Omnes iſti tamen corporeis affixi veritatibus de futuris Dei iudiciis per hæc ſymptomata haud philoſophati ſunt,de quibus nos in prophetalibus.Scientia quippe humana abſque diuina curta eſt , teſte S. Ambroſio. Non cauſas pro cauſis principibus aſſignat,& principia petit fingítque , qualia homo imaginatur,poſſibilia,ſæpéque impoſſibilia.

Nos igitur , D. Thomæ & Alberti Magni & ſubtiliſſimorum Theologorum doctrina ſuffragante , dicimus hominis arbitrium aſtris non eſſe ſubditum directè, ſed per accidens , quatenus corpus

pus afficitur à cœlo & sideribus, similiter spiritus animalis,tenuis, corporeus,& humores ipsi. Passio autem redundat in animam à Deo infusam,sed non confusam,vt loquitur doctè S.Ambros.quæ potest sectari,& respuere passionem illam. Et quoniam homo plerunque & magis sequitur sensuales passiones , quàm liberam voluntatem rationabilem,propterea diuinat sępè astrologus etiam in actionibus & euentibus arbitrariis, inquit S.Thomas contra gentes.vbi & à cœlo imprimi etiam putat aliquid,quo fiunt in artibus efficaces medicus in sanando, agricola in plantando, miles in vincendo. Ibíque canonizat etiam dictum illud Hermetis, quod putat esse Ptolomæi: *Mercurius in domo Saturni in bono esse dat intelligentiam rerum medullitus*. quod declarat dispositiuè. Nam cœlum agit in animam dispositiuè,& indirectè, humores, & spiritus afficiendo,sicuti aquas & aërem : Angelus & dæmon persuasiuè: Deus autem solus motiuè, idest,physicè immutando. Et in lib. de regimine principum , mores nationum planetis sic tribuit & Iudæos cum Macrobio saturninos facit,vt etiam Haly docet.hæc ille vir sanctus. In libro verò de fato,& in opusc.de Astrologicis iudiciis, resoluit argumẽtum S.Augustini de Iacob & Esau natis sub eadem constellatione tam disparibus : & ait,quod cor principium vitæ Esau erat in diuerso situ ad horizontem & sydera à corde Iacob : itaque melior dispositio fuit in vno, quàm in altero. sed nos plurimos gemellos eiusdem fati infra notabimus. Potest nihilominus homo dispositionem legis Dei potiùs sequi,quàm elementarem. Videmus enim propter Deum luxurioſos non luxuriari, non tamen non affici,sed non vinci. At si quis vincatur vt deliret, immunis est à culpa, quoniam tunc anima suo munere & instrumentis vti non potest.

Circa diuina verò dicimus,hanc scientiam non procedere, nisi à signo dato à Deo naturæ authore,ait S. Leo. In ipsis elementis, ait,tanquam in publicis paginis diuinæ voluntatis significationem accipimus. Ideò cùm Magi videre stellam Christi,ait S.Augustin. obstupuit Magus , aspexit Astrologus , putauere fatum , sed fuit signum. Nil tamen obest esse concausas. vt cum Deus vult Religiosum optimum facere , potest vti stellis & elementis ad temperandum corpus probè ad susceptionem animæ, & spiritus animales inde tenues & puros conficere. vnde ex corporis temperie & organizatione de moribus physiognomico syllogismo ratiocinamur. Non tamen in cunctis,vti Cardanus facit,qui Christi homi-

nis Dei temperamentum cœlo ſubdit prorſus, cum conſtet non tantam tunc fuiſſe cœli harmoniam, vt tale corpus conſtrueret, quale Deo homini conuenit, ſed à Spiritu ſancto fabricatum eſſe longè melius, quàm à ſtellis, effectúſque ſtellarum fuiſſe in Chriſto modificatos, non à fatali concurſu cauſarum ſuperiorum & inferiorum modo, ſed etiam immediatè à prima cauſa vniuerſaliſſima. In ſecta autem Macometi benè Haly ex conſtellatione magna in Scorpione de moribus Macometi, & ſuæ ſectæ philoſophatur, ſed non prorſus: nam malitiam ſtellarum nullam eſſe ſcimus; modum tamen recipiendi eſſe in elementis, qui poteſt eſſe prauus, ſed modum vtendi in anima à Deo infuſa, qui poteſt de prauo fieri bonus. Videmus profecto eandem procellam à cœlo immiſſam alios ex nautis ad vota, alios ad blaſphemias prouocare, prout quiſque affectus eſt priùs. Semper aliquid facit conſtellatio, ſed pro recipientis & vtentis natura. Sunt etiam aliqui benè nati, & aliqui malè nati, ab ipſo cœlo, vt acutiſſimè S. Thomas in tert. contra gent. qui ex proprio temperamento, & cœli nouis influxibus inſtigantur in ſenſu ad appetendum & ſectandum quod illis nocet. Et mens tunc ſimul ad eligendum malum, vel bonum incitatur, quod ipſe millies expertus ſum. Et Caietanus ſuper ſecunda ſecundæ in tract. de religione, & ſuperſtitione mirificè conſiderat, putátque propterea aſtrologos poſſe de arbitrariis iudicare, & præſcire, quamuis non prorſus infallibiliter. Sicut enim agit cœlum in aquam & in aërem, ita in humores, & in ſpiritum animalem, cui vnita eſt mens.

Igitur tota Aſtrologia vel procedit à cauſis neceſſariis ſemper, vt quod Sole in Arietem intrante, incipit ver, quamuis aliquibus fallatur gradibus, vel temporis momentis de introitus puncto; contingátque per anomalias varietas non præuiſa ſæpiſſime, (ſed idem euenit in cæteris ſcientiis:) vel procedit ex cauſis contingentibus vtplurimum, vt quòd in vere floreant arbores omnes & tepeſcat: vel ex contingentibus aliquando, vt quòd hoc anno frigeſcat aër in vere; quoniam Saturnus reperitur in primo Arietis (poteſt enim hoc rarò contingens in effectu prohiberi:) ſimiliter, quòd hæc herba faciat flores plures tunc, quia eſt Saturnina: vel ex cauſis per accidens & indirectè, vt quòd homo, cuius Luna eſt in quarta Orientali, ducat vxorem in iuuentute (ducere enim vxorem eſt arbitrarium, nec ſubditur Lunæ in tali ſitu, niſi per accidens & diſpoſitiuè, vt dixit S. Thomas.) Aliquando Aſtrologus

procedit

procedit ab effectibus, vt ex colore cometæ inuestigat dominium sideris. Similiter ex Iride & aliis impressionibus aëris de planetarum viribus argumentatur: vel procedit à signo, vel dato à Deo, vt in stella Balaam, & in signis datis nobis in Sole, & Luna, & stellis de secundo Christi aduentu; vel dato à natura, sicuti de colore stellarum, earum naturas consideramus: vel ab vno effectu, quem in arboribus faciunt stellæ ad notitiam alterius in nostro corpore manifestandi discurrimus, tanquam à simili. hoc enim est per signum procedere, vt diximus in topicis. Et quidem astrologus sæpissime sic diuinat. Nam si eclipsis accidat in zenith, super reges & res præclaras habere significationem existimat: si in ortu, super recentia & pueros & germina: si in occidentali angulo, super senes, & res vetustas. Omnia quoque signa cœli videntur sic se habere. Nam si in aqueis accidat constellatio, super aquas indicat, & res in aqua versantes. Constat autem aquam non esse cœlum, vel illam cœli figuram, sed sic vocari ab effectu, cum quo symbolum habet, non ipsa, vt Plotino videtur, sed vis ab ipsa proueniens, vsque ad nos taliter modificata, quod cum aquis concordat.

Diuinos autem fuisse oportet, vel à Deo edoctos homines illos, qui tales sympathias, & antipathias, & nomina syderum cum rebus inferioribus nobis tradiderunt, vt Plato admonet: & Philo & Iosephus ab Abrahamo in Ægyptum Astrologiam tam mirabilem delatam enarrant. Abrahamum autem à Noë, Noë à patribus vsque ad Adam, & Deum didicisse consentaneum est. Stultissimi sempérque pueri Græci imagines cœli suis heroibus recentissimis aptauerunt, cum constet innumeris annis ante Argonautas in cœlo nauim fuisse signatam ex Chaldæorum monumentis: & Arcturum, & Oriona, & Pleiadas, aliásque imagines à Moyse in historia Iob memorari, qui præcessit Græcos multis temporibus. Signum ergo est causa doctrinalis, non realis, vt dictum est alibi.

Procedit hæc scientia, aliquando demonstratiuè, vt quod exoriente Canicula, si Mars contestabitur, erit dirus æstus. Ex causis enim ritè sic demonstrat, licèt communibus plerunque. Aliquãdo probabiliter, vt quod partus erit geminus, si editus fuerit signo Geminorum horoscopante, vnà cum planetis duobus. potest enim id non euenire. Aliquando suspicatiuè, vt quod Petrus ditabitur, quando pars fortunæ per directionem proueniet ad corpus Iouis: etenim non est hoc necessarium, nec fortè probabile. Ad ditan-

dum

dum enim hominem non concurrit sola cœlestis causa, sed libertas hominis,patria,lex,mores;negotiatio,mors maiorum, benefactorum pietas,Angelorum ministerium, plurimæque causæ fatales: quapropter ex vna sola causa astrologo nota non potest fieri scientia. Quando autem effectus est vnus,vt pluuia,& causam habet vnam, vel duas naturales, tunc probabiliter discurrimus, si vtrasque consideremus. Quapropter in Longobardia eadem constellatio facit in æstate grandines diras, quæ in Calabria faciet æstum,aut vix caloris temperamentum; ibi enim mollis & paludosa tellus: hic sicca, aridáque. oportet ergo astrologum actiuas passiuásque causas prænosse,ac quos effectus edere solent:vnde in alia familia aliter operatur constellatio, nedum in regione. Quis nescit Iouem ascendentem efficere albissimos in Germania natos, in Æthyopia verò nigros? Item in familia Fabiorum aliter afficere,quam in Lentulorum? Qui non ex causis neque effectibus,neque signis naturalibus procedit,superstitiosè tractat astrologiam, & eius phantasiæ immiscetur dæmon aliquando,sicuti medico superstitioso ex Augusst.

Hic quod omiseram nota, quod S. Isaias insultat Astrologis Chaldæis, quod ex siderum supputatione futura diuinare præsumerent: & Ieremias,A signis cœli,ait,nolite metuere. vnde Picus & alij Astrologiam condemnant,non satis rectè. Non & prudentia humana condemnatur à Iob, & in Prophetis reprobat Deus prudentiam prudentum: nec propterea prudentia est inanis, sed diuina res vtilissimáque? Quapropter putandum est, quod damnent Prophetæ Astrologiam oppositam Theologiæ,& superbientem super Prophetas,non autem suppositam,qualis est nostra. Sic Deus prudentiam carnis, & macchiauellisticam,quæ suprà legem Dei erigitur, non autem prudentiam humanam suppositam diuinæ. Qui benè leget Isaiam sic esse deprehendet.Ierem.autem non esse metuendum à cœlo viris bonis, rectè docet: adhærent enim Deo cœli authori. nec à ministris timet, qui amicus est Regis. Posse autem Deum syderum cursus & vires mutare, non solum docent Prophetæ contra Astrologos, & historia Ezechiæ, & Iosue; sed symptomata præsentia in obliquitate, excentricitate & cardinum anticipatione irregulari ad Dei nutum, vt in prophetalibus euicimus, qui dixit: virtutes cœlorum mouebuntur. de quibus alibi. Argumenta Pici passim soluta in hoc opere videbis.

Quadrifariam agere cœlestia corpora in res inferiores.

Agunt autem sidera in res inferiores, calore, lumine, motu & aspectu. S. Augustaddit afflatum, D. Thomas efficaciam aptitudinis. Calore tanquã causa: lumine tanquam vultu eiusdem causæ, & occasionum plurimari causa, dum sensibus obiecta manifestat: motu tanquam operatione delatiua ipsius causę ad afficiendas res: aspectu modificatiuè. In alio enim situ aliter agunt in eandem rem ipsæ stellæ; vt Sol in zenith plus calefacit, minus in manè, mediocriter in vesperi, & in omni puncto variatur actio, & receptio actionis, & passio iam indita. Similiter se habent inter se configurata. Calorem esse causam actiuam secundorum entium in physicis probatum est. Frigus autem à sideribus nullum venire ibidem patuit: sed minorem calorem pro frigore reputari, non quidem dum additur minori (tunc enim auget ipsum) sed dum additur materiæ in qua est maior calor; vt aqua tepida feruenti iniecta feruorem minuit, dum calorem illum in plus materiæ expandit: vel blandus calor emolliens dat exitum robusto induranti, séque sic irretienti. quod patet in inflammationibus tepida aqua curatis, non frigida, quæ plus inflammat per antiperistasim. Infrigidant ergo sic stellæ: vel aperiendo poros subituro frigori. Lux autem caloris est facies, stellæque in visibus etiam agunt calore suo mixto cæteris. sic & luce. Est in aëre nobis lux ignota in nocte, non autem leporibus. quapropter non rectè probant quidã planetas mediceos & saturninos non agere in cæteras res, propterea quod in nostros oculos non agunt. Motus verò non facit calorem, vt stultè Arist. opinatur, cum potius fit caloris effectus: nec accessus & recessus, in quantum sunt motus, faciunt generationem & corruptionem, sed in quantum deferunt Luminaria, veras causas ad diuersos situs materiæ transmutabilis: quatenus autem pellit aërem motus sideris, ad nos vix peruenit, sed calor est, qui in inferiora mouet. Aspectus tandem variat & modificat caloris vires, vt sint proficuæ vel noxiæ rebus quibus imminent stellæ: aliis tamen alij. Vnde tanta exoritur ex situ consociatio, vt magnes ad polum terræ semper vergat, heliotropium ad Solem, cadauer natet vultu ad cœlum verso, sicuti in matrice dispositum fuit, & bacilli ferrei super subere natent se ad illum conuertendo situm, quem ab arte

fabri malleantis acceperunt. Quod si artificiata seruant suum situm,& ab eo foueri se putant,multò magis naturalia. Non ergo est superstitio situs obseruare, vt multi opinantur, sed rationalis doctrina. Doctè ergo Ptolemæus siderum aspectus obseruat, & regionum ad sidera, & particularium rerum originales dispositiones persimiles cælestibus : ita quod super alias res indicat eclipsis in angulo orientali, atque in occidentali. Ex his ergo nostras ratiocinationes conficiemus. Et quoniam in calore & lumine sic modificatis insunt potestas, sensus,& amor modificari; propterea præter manifestas physicas vires inesse rebus affectis à cœlo etiam metaphysicas iam dictas oportet, vt aliter afficiantur alia, alitérque sapiant & possint : modificantur autem aspectus fati necessitate & harmonia. Et hoc est influxus latens à cœlo,nec solo in calore & luce. de quibus in Metaphys.

Ptolemæum sequimur, qui compilauit omnia decreta Chaldæorum,Ægyptiorum,Indorum,Græcorum, Latinorum pet tot sæculorum obseruationes confecta. Sententia autem hæc ex obseruatis procedit. stultus essem, si noua dicere omissis veteribus vellem,qui vix 10. annos geneses examinaui. Addemus ergo dicto eius rationes,robur, correctionem, & quod deest ad scientiæ perfectionem: cætera vt iacent rectè dicta afferemus,alienam gloriam nihil vsurpantes. omnes enim Astrologi omnium temporum,ab exordio mundi ad nos,non sufficiunt ad Astrologiam totam & rectè conficiendam. Communi igitur labori nos portionem non leuem,nec modicam,adiungimus.

ASTROLOGICORVM
LIBER PRIMVS.

A planetarum & fixorum & inferiorum varietate, mutationum rerum inferiorum causas & initia sumi oportere.

CAPVT I.

1 NISI variarentur causæ agentes aut patientes non variarentur effectus, & transmutationes, sed fierent semper eadem.

2 Si variarentur circulariter etiam effectus circulariter variarentur.

3 Quæ diuturno tempore durant, fiunt à causis, vel concursu causarum grandi & raro. Quæ breui tempore à causis sunt variabilibus, vel concursu veloci & frequenti.

4 Sidera sunt causæ varietatis inferiorum, vel quia ipsa mouentur, vel tellus, vel vtraque.

5 Variationes in cœlo sunt à motu & statione: item à longitudine motus, & latitudine, & eleuatione, & depressione, velocitate & tarditate: & quæ plus habet passionum harum stella plus afficit, vel variabiliùs, inferiora.

6 Quæ in eodem situ & motu diutissimè perseuerant, vocantur fixæ, existimantúrque saltem doctrinaliter esse in eadem regione, immota Pythagoreis, mota Ptolemaicis: quæ continuò mutant situm & motum, vocantur erraticæ, seu planetæ, quæ nobis per

æthera discurrere putantur sponte; Aristotelicis autem, à sphæris delatæ, vt nodi in tabulis.

7 A planetis exordiendum videtur tanquam à notioribus causis omnis varietatis, per quas & alias causas agnoscimus.

8 Planetarum notitiæ ex qualitatibus eorum declarantur, & ex collatione ipsorum ad suos orbes, & ex collatione ad partes cœli mutabiles & immutabiles, & ex collatione ad Solem, & mutua ex affectione & aspectu, & tandem prout comparantur ad fixas.

De Planetis in communi.

CAPVT II. ARTIC. I.

SEptem sunt Planetæ suis characteribus insigniti, vt in hac tabella.

Saturnus.	Iupiter.	Mars.	Sol.	Venus.	Mercurius.	Luna
♄	♃	♂	☉	♀	☿	☽

1 Sunt quatuor circa Iouem incessanter moti: aliíque duo circundant Saturnum per Telescopium reuelati; sed quoniam eorum actio cum planeta suo communicatur nobis, non est de ipsis doctrina in Astrologia nostra. Si qui autem essent habitatores Iouis, illi de ipsorum dissererent natura, & efficientia. Et quidem in omni sidere propria est sui Astrologia; quoniam alios aspectus alio tempore & modo ad alias stellas omnes & singulæ stellæ sortiuntur, sic & vires & influxus. Nos autem de nostri systematis Astrologia hic exiliter, prout datur, tractare possumus.

2 Sol & Luna vocantur Luminaria, maius, & minus, diurnum, & nocturnum in sacra Scriptura, sicut in Ptolemæo; sed secundum nos: nobis enim scribebat Moyses. Aliis enim sideribus Luna nostra fortassis est occulta, vt Lunæ ipsorum nobis. Et cum sit minor multis astris, non meretur Luminaris nomen, nisi nobis, vt ait S. Thomas cum Chrysostomo, quibus ob vicinitatem vsum Luminaris præbet, & fortè accipit etiam, vt Galilæo videtur.

3 Siue moueatur Sol, siue stet, tanquam mobilis Planeta ponendus est nobis considerantibus rem ad sensum nostrum & doctri-

nam;

nam; idem enim euenit moto ipso ac tellure.

4 Sol est tanquam Dux & Rex & Pater. Luna tanquam Regina ac mater & nutrix. Iupiter tanquam Gubernator. Mars tanquam militiæ Magister. Saturnus tanquam Consiliarius. Mercurius vt Orator. Venus vt delitiæ omnium. Tres superiores dicuntur & ponderosi; tres, inferiores, leuesque. Solem esse centrum amoris omnium planetarum, à quo vires accipiunt, alibi docuimus: & Venerem & Mercurium ipsum circundare palàm: & cum ipso tellurem: cæteros verò vtrumque, declarauimus. Vel si stat Sol, etiam tellus erit eius ambiens gyrum, sed in Phys. stare contra.

De Planetarum natura speciatim.

ARTIC. II.

1 SOl manifestè calidissimus est, & humidissimus, quoniam tenuissimus & liquefaciens, & attenuans est omnia. Liquor autem & tenuitas sunt humiditates. Verumtamen reputatur moderatè calidus ab Astrologis & moderatè siccus. quoniam ipsi non iudicant res, prout sunt, sed prout rebus inferioribus conueniunt. Calor quidem Solis & humor vniuersaliter se habent ad omnia inferiora, modificantur autem ab aliis planetis. & hanc modificationem considerat astrologus. Et quia à Marte calor augetur, reputatur Sole calidior, quoniam extraordinario calore cum illo calefacit. ordinarius autem solaris blandus videtur, hoc est ordinariæ temperiei rerum accommodatus. Similiter Sol per accidens exsiccat partem humidam eleuando, & magis quàm Mars reputatur siccus moderatè; quoniam non nisi moderatè post constitutas res exsiccat; cum Marte verò immoderatè. quapropter Sol est calidus & siccus ordinariè.

2 Luna est humida & frigida Astrologis, quoniam calorem & lucem blandam habet, quæ educit vapores crassos & aquas rarefacit, & tumefacit, sed non attenuat. Nobis autem videtur humor proprius aquæ & vaporum crassorum esse. Vbi autem est raritas, & vapor aquarum, eò frigus exterius facile insinuatur; propterea Luna frigida etiam videtur. Sed tamen in prima sua quarta reputatur frigida & humida, in 2. calida & sicca, in 3. calida & humida, in 4. frigida & sicca, sicut anni quartæ, & diei. sed aliter dicemus infrà.

3 Saturnus frigidus vocatur & ſiccus quoniam longiſſimè diſtat à nobis, & calor eius blandus frigoris facit ſenſum in calore Solis commixtus, & quandam duritiem & cruditatem in terra & rebus, quibus adiicitur. Non rectè Ptolemaici, quia nimis diſtat à Sole, frigidum faciunt Saturnum: cum & Canicula diſtet magis, & ſit calida; ſed reſpectum ob dictum ſic vocandus fuit. Neque calor eius exiguus comprimit, vti vapores, vt aliqui dicunt, ſed non eleuat: puto etiam aliquam affectionem, quæ in ſenſu, potentia, & amore, quibus conſtat calor, inſita eſt à Saturno deſcendere; ita vt res eius tardæ ſint, pigræ duræque, ſicut & motus deficientiæ. At credo modificationem Solis talem ſaturniam dici.

4 Iupiter vocatur calidus & humidus temperatè: quoniam vapores cum Sole eleuat & humectat, & radiis eius commixtus res producit ſucculentas, & formoſas in temperie quo ad nos. Serpentibus enim eſt noxius, ſicut Saturnus proficuus.

5 Mars calidus ſiccuſque vocatur, non quia Soli eſt proximus, vt putat Ptolemæus, cum proximior ſit Venus: ſed quia denſæ eſt molis rubræque, & in commixtione cum Sole nimis excalefacit, & exſiccat vapores eleuando. hæc etiam facit Sol omnia, ſed cum Marte ſic, cum Saturno ſic.

6 Venus eſt calida, ſed magis humida, non quia terræ vel Soli vicina, ſed quia talis eſt molis, vt cum eis in tali ſitu luce imbuta tales effectus faciat.

7 Mercurius anceps reputatur: ſuſcipit enim qualitates ſtellarum, quibus miſcetur corpore vel radio, & vicinior Soli exſiccat & calefacit, vt matutinus; vicinior Lunæ è contra in perigæo.

De fœlicitate & infœlicitate Planetarum.

ARTIC. III.

1 SVnt omnes planetæ ſibi fœlices, ſed nobis alij fauent, alij nocent, ſicut & ignis blandus prodeſt, multus obeſt.

2 Iupiter ergo & Venus fortunæ vocantur, ille maior, iſta minor: quoniam rebus noſtris & nobis ita temperatis, vt eorum calor ad nos proueniens temperatur, prodeſt: qui è contra ſunt infortunæ ſerpentibus, & rebus nobis inimicis, & barbaricis nationibus, quæ ab humanitate deſciſcunt. Saturnus autem infortuna maior dicitur, quoniam ob ſiccitatem, & frigiditatem noſtro eſt

tempera

temperamento noxius. Similiter animalibus nobis seruientibus & frugibus & diuitiis. bona enim exteriora interioribus accommodantur. Mars vocatur infortuna minor, quoniam calor & siccitas eius rebus nostris & nobis officit ob aduersam intemperiem, & consequenter externis bonis.

3 Sol ancipitis naturæ reputatur: quoniam cum sit causa vniuersalis, prout modificatur à planetis particularibus eius vis obest, vel nocet, tum in bono situ, tum fortunis magnificentissimè benefacit. Videtur cum Saturno frigidus ob causas dictas, & cum Marte calidus, cùm tamen ipse præstet omnia omnibus.

4 Luna quoque maleficis iuncta videtur malefica, semper tamen humida, & blandè calida: idcirco cum Saturno peior est quàm cum Marte.

5 Mercurius est versatilis naturæ, aliorum vires & decreta auget, cum bonis bonus, cum malis prauus: maximè autem prout est affectus ad Solem.

De Temporaneitate Planetarum.

ARTIC. IV.

1 SAturnus & Iupiter vocantur diurni, quoniam cum Sole conueniunt, ille vt eius malignitas in die moderetur, iste vt sua benignitas exhilaretur: quapropter peior est Saturnus in nocte quàm in die. Est natura ergo nocturnus, nobis autem diurnus.

2 Conditionem Luminaris nocturni imitantur Venus & Mars: illa quoniam abundat humore, & est quasi Luna: sicut enim Luna crescit & decrescit, vt patet per Telescopium: iste vt eius feruor & malitia temperetur. ergo in se diurnus est, nobis nocturnus.

3 Mercurius anceps: nam in exortu matutino, donec ad absidem superiorem deueniat, diurnus est: in vespertino vsque ad perigæum est nocturnus.

De sexu Planetarum.

ARTIC. V.

1 SAturnus, Iupiter, Mars, & Sol, masculini dicuntur, quoniam validæ, & efficacis sunt operationis perficiuntque cœptum

cœptum opus. Sic natura, quando facit mares, adhibet multum calorem, qui genitalia ad fores propellat: vnde existimant quidam, quoniam in his dominatur calor super humidum in eorum crasi esse masculos. Sed non sic est: nam in Saturno non ponitur calor nisi qui refrigeret more fœmineo.

2 Luna autem & Venus fœminini dicuntur, quoniam opus non absoluunt: mouent, & non resoluunt humores, & vapores, & effectus: sic vt natura non possit genitalia expellere. Et quamuis Venus sit calidior Saturno, non tamen mascula est, quoniam non perficit bonum, vti Saturnus malum, quod inceptat.

3 Mercurius est anceps: prout Soli vel Lunæ copulatur, vel matutinus est, vel vespertinus. Masculescunt etiam planetæ matutini, orientales, angulares: sicuti vespertini, occidentales, & cadentes fœminescunt: quoniam vires imbecilliores sortiuntur super effectus, vt rectè dederimus efficaciæ masculinitatem.

De Amicitia & inimicitia Planetarum.

ARTIC. VI.

1 SVnt perfectæ amicitiæ, quicunque conueniunt in qualitatibus vt Venus & Iuppiter. 2. qui in fœlicitate & infœlicitate. 3. qui in temporaneitate. 4. qui in sexu. è contra verò sunt inimici, qui in prædictis disconueniunt. Mercurius autem omnibus accommodatur.

2 Ratione domiciliorum, sunt quidam magis, quidam minus inimici. Nam Mercurius Ioui hostis est, & Saturnus Luminaribus, & Mars Veneri, vt infra videbimus. Et inimicorum aspectus vocatur apertio portarum ad effectus grandes, vt patebit.

De Planetarum passionibus, prout ad suos orbes conferuntur.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 DIcuntur planetæ ascendentes, & descendentes, in absside superiori, & inferiori, veloces, & tardi, mediocres motu, & stationarij, directi, & retrogradi. Hoc autem accidit duabus ex causis:

cauſis. Vna propterea quod habent in cœlo quaſdam ſympathias cum ſuperioribus fortaſſe corporibus:idcirco in quibuſdam partibus eleuantur:in quibuſdam oppoſitis deprimuntur,& fiunt nobis viciniores : dum ſunt in parte ſuperiori dicuntur eſſe in apogæo, vel in abſide ſuperiori ; dum ſunt in oppoſito dicuntur eſſe in perigæo, vel in abſide inferiori. Mutantur autem abſidum ſitus poſt ſæcula multa paulatim,vt Copernicus obſeruauit.Hoc autem tempore loca apogæorum ſic ſe habent ex Thycone, qui ſubtilius rem indagauit.

Tabella Apogæorum & Perigæorum.

	Apogæa.	Perigæa.
♄	29. 39. 24. ♐	29. 39. 24. ♊
♃	6. 36. 0. ♎	6. 36. 0. ♈
♂	28. 48. 44. ♌	28. 48. 44. ♒
☉	9. 49. 11. ♋	9. 49. 11 ♑
♀	16. 32. 0. ♋	16. 32. 0.
☿	0. 39. 23. ♐	0. 39. 23. ♊

Ex hac tabella patet ſitus apogæorum & perigæorum , in noſtro ſæculo. quantum ſit addendum ſingulis annis ex Thycone eliciemus , niſi Galilæus aliquid noui adduxerit. Dicuntur ergo planetæ aſcendere tranſito perigæo vſque ad apogæum per medietatem circuli,quæ eſt 180. graduum : deſcendere verò ex apogæo ad perigæum.

2 Putant meliores Aſtrologi eſſe planetas puriores,& fœliciores, & meliores in apogæo,quoniam ſtellato cœlo nobiliſſimo proximiores:in perigæo verò robuſtiores,quoniam propinquiores paſſo plus agunt in nos : attamen infœliciores , quoniam impuriores. Equidem puto id euenire, quia plus vaporis mouent, & actio valida & potens temperiem ſoluit. nil tamen obſtat , quo minus etiam fœliciores ſint, vbi alia cauſa vel concauſa temperiem noſtram ſeruat.

3 Luna autem non in certis cœli partibus habet apogæum, & perigæum, ſed in coniunctione, & in oppoſitione cum Sole ſemper reperitur in apogæo : in quadraturis verò in perigæo, quoniam à Solis luce recta eleuatur, vt alibi docuimus: nec in perigæo eſt deterior, ſed melior & purior, nedum robuſtior, licèt minus lucida. Sed in perigæo epicycli æquè lucida eſſe poteſt, vt dicemus. Ratio eſt quoniam ſymbolum habet cum tellure, cuius videtur pediſſequa, fortè quoniam à tellure & ipſa lumen repenſum accipit, vt obſeruat Galilæus.

4 Altera, propterea quod habent Planetæ aliam eleuationem & depreſſionem à Sole, quam Ptolemaici dicunt in epicyclo, ſicuti priorem in excentrico, doctrinaliter non realiter loquentes. Cum enim Soli iunguntur Planetæ ſuperiores, eleuantur maximè à nobis, quoniam Sol eſt centrum amoris eorum, imbuens eos luce copioſiori, & tunc dicuntur in apogæo epicycli : cum verò ſunt in oppoſitione Solis deprimuntur, & ſunt velociſſimi, ita vt fixas præcellere videantur in anteriora, quod Ptolemæus vocat retrogradationem, nos velocitatem, quia anguſtiorem circulum deſcribunt, & facilius peragrabilem.

5 Sed Venus & Mercurius aſcendunt ad abſidem epicycli, cum ſunt matutini, & reuera Solem ambiunt deſuper. Cúmque cœperint remanere poſt Solem, ex ambitu circuli magno deſcendunt ad inferiorem abſidem ſub Sole. Neque enim ſunt ſupra, vt putat Timeus & Ariſt. neque infra, vt Ptolemæus: ſed circundant Solem. Verùm ob ambitum anguſtum non deſcendunt ab eo, ſed cum eo gradi, & ipſum circundare videntur.

6 Lunæ epicyclus, cùm ſit inſtabilis, ex tabulis dignoſcitur & ephemeridibus. ſemper tamen memento epicyclos, & excentricos doctrinales eſſe, non reales, ſed per ſe moueri, & luce Solis, & affectione ad ſuperiora ſic euenire. de quo alibi dixerimus.

7 Directi dicuntur, quando mouentur in conſequentia ſignorum tardiores fixis. Retrogradi cum in antecedentia velociores fixis, quoniam terræ propinqui ſunt magis, & minorem circulum peragrant. Stationarij, quando vnà cum fixis æquè velociter mouentur; quod antè retrogradationem, & poſt, illis euenit in mediis longitudinibus epicycli. Vocantur tardi, quando motus eorum minor eſt ſuo mediocri; veloces, cùm maior. Hoc autem in ſubſequentia ſignorum dicimus : quoniam Aſtrologi hunc eſſe

motum

motum proprium Planetarum putauerunt: cum ſecundum noſtra dogmata ſecus dicendum videatur. ſed loquendum vt plures. Eſt enim nobis motus in poſteriora, quædam ſubdeficientia. Copernico autem ſolus iſte motus eſt verus. de quo alibi. Vt autem ſcias, quando ſunt tardi, & quando veloces tabellam medij motus ſingulorum deſcripſimus.

♄	g. 0. 2.	☉ ♀ ☿	59. 8.
☾	0. 4. 59.	☽	12. 11. 27.
♂	g. 0. 31. 27.		

Cùm ergo hoſce gradus minutis excedunt ſunt veloces, cùm exceduntur, tardi. Igitur Aſtrologus has paſſiones noſcat oportet, quoniam aliter agunt in alio ſitu ſui orbis, & aliter cum tardi atque veloces.

De cœli ſpatiis partibúſque, prout Planetæ in eis varias exercent erga nos operationes ſimul cum illis, vel illæ ſolæ ob fixarum ſitum.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 POſtquam de Planetarum natura quoad nos, & de paſſionibus ex motu accidentibus dictum eſt, poſtulat ordo, vt de cœli partibus diſſeramus, in quibus decreta efficiũtur per Planetas & fixas ad immutationem rerum, quæ in noſtro ſunt ſyſtemate.

2 Præſupponendum eſt ex Aſtronomia cœlum diuidi totum in medio per maximum circulum, quem vocamus æquinoctialem, à quo in Auſtrum, & Boream duo diſtant circuli tropici vocati, eo quod Planetæ iuxta ſenſum noſtrum excurrunt ad illos vſque, nec vltra, ſed reuertuntur, ſemper nouos parallelos, oblique incedendo, deſcribentes. Diſtántque hi circuli ab æquatore hoc tempore grad. 23. m. 28. ferè, ſempérque inceſſanter reſtringuntur, eo quod Sol non ſpatiatur ab æquinoctiali quotannis tantundem, ſed prius regreditur quàm perficiat excurſum. Motus autem Solis

obliquus in his efficit circulum quem Zodiacum vocamus, cuius poli ſignantur à polis mundi tot gradibus diſtantes, quot tropici ab æquatore:& vocantur circuli,in quibus ſunt poli Zodiaci,alter Arcticus,alter Antarcticus,ſimiliter poli æquatoris dicuntur, Arcticus,qui nobis notus; Antarcticus, qui occultus.patet ergo hos circulos ab ipſa natura & motu Planetarum exigi.

3 Circulus omnis doctrinaliter,& fortè realiter, diſtinguitur in 360.gradus,quoniam Solis imitantur numeros, qui totidem facit circulationes,& in ſubdeficientia à fixis gradu vno in ſingulis circulationibus obliquari apparet.Et licet circulationes ſint 365. fortè,tamen vt doctrina poſſit fieri,& numerus aptè partiri,& doceri, in 360.partes,quas gradus vocamus, circulos diſtinguere viſum eſt Arithmeticis. Omnis autem gradus in 60.minuta ſeu ſcrupula prima,omne ſcrupulum in 60. ſecunda, omne ſecundum in 60. tertia,& ſic de reliquis vſquequò venias ad menſuram grani hordeacei nobis notiſſimi.ſed in infinitum pergit,qui in doctrina non vult deficere.

4 In motu longitudinis ab ortu in occaſum Sol efficit diem in 24.horis ex tenebris & luce compoſitum:in latitudinali, qui eſt in Zodiaco toto,efficit annum.

5 Quoniam Luna copulatur Soli dum circulum annuum peragrat duodecies,idcirco diſtinxerunt Zodiacum in ſigna duodecim:eaque nominibus animalium, & rerum inferiorum, quibuſcum habent ſymbolum,vt ſciamus,quibus rebus, in qua parte Zodiaci,quilibet Planeta fauet aut nocet,inſigniuerunt, ſic natura dictante, potius quàm doctrina. Signum autem ſingulum in 30. gradus, quoniam in 30.diebus Luna curſum peragit in Zodiaco, atque iterum Soli copulatur. Et licet aliquæ horæ deſint, tamen doctrina voluit, vt 30. ſint partes,ſicut dictum eſt in motu Solis. vnde ex duodecies 30.reſultant 360.

6 Totum autem cœlum in 48.imagines diſtinxerunt, vt ſtellarum numerus & ordo & vires poſſint notari, quarum 12. cadunt in Zodiaco,cuius latitudo eſt 12.graduum. Nomina & characteres imaginum prædictarum in ſequenti patent tabella.

♈ Aries.	♋ Cancer.	♎ Libra.	♑ Capricornus
♉ Taurus.	♌ Leo.	♏ Scorpio.	♒ Aquarius.
♊ Gemini.	♍ Virgo.	♐ Sagittarius	♓ Piſces.

7 Imagi

7 Imagines verò extra Zodiacum, aliæ ſunt boreales, quæ ſunt 21. videlicet Vrſa minor, Draco, Bootes, Vrſa maior, Cepheus, Corona Gnoſia, Hercules, Lyra, Cygnus, Caſſiopea, Perſeus, Auriga, Serpentarius, Aquila, Serpens, Telum, Delphin, Pegaſus, Equiſectio, Andromeda, Triangulus. In plaga meridionali quindecim ponuntur, eo quod partem illam cœli noſtri Aſtronomi videre non poterant, vti nunc poſt Luſitanorum nauigationem ad Indos. Sunt autem iſtæ Orion, Procyon, Sirius, Lepus, Nauis, Hydra, Coruus, Centaurus, Fera, Thuribulum, Piſcis Meridionalis, Cetus, Eridanus, Corona Auſtralis; quibus addo Cruciferum in polo antarctico à Dante Poëta neſcio quomodo prædictum, & à noſtratibus iam viſum, & ſic cognominatum, eo quod in Crucis figuram ſtellæ huius imaginis diſpoſitæ ſint. Poſſunt & aliæ ſignari ſi quis proprietates siderum ex colore & magnitudine & experimentis notare ſciat, vti veteres fecerunt.

8 Stellæ omnes prædictæ notantur à locis, in quibus ſunt; vel longitudine, vt in Zodiaci ordine ab ortu in occaſum, vel latitudine, vt in egreſſu extra lineam eclipticam, quæ Zodiacum interſecat in longitudine: vel à declinatione, quæ eſt diſtantia ab æquinoctiali. oportet autem Aſtrologum iſta prænoſſe ex Aſtronomia.

9 Vires imaginum & ſtellarum numerum ab Aſtronomia petes, vbi & figmenta & fabulas diſcere oportet, quibus de imaginibus philoſophamur. Etenim, aut vti memoria teneantur, aut vt qualitates in effectibus inferioribus effuſas in ipſarum imaginatione agnoſcamus, ſic notatæ ſunt. Vnde Nauim ſuper maria, & res marinas, ſignificare: Thuribulum ſuper ſacra, Serpentem ſuper nociuas beſtias, & ſic de cæteris, docet Plotinus & Ptolemæus ab Ægyptiis, & Chaldæis traditiones accipiens, qui non niſi Deo duce imagines & proprietates ſic iuueſtigare potuerunt, quicquid delirent Græci, aliorum gloriam vſurpantes, ſicut teſtimonio Iob probabamus.

De Zodiaci figuris.

ARTIC. II.

1 QVoniam planetæ intra Zodiacum diſcurrunt, interſecantes ipſum, quemadmodum Zodiacus æquatorem,

non tamen ita pluſquam 4. gradus extra Zodiaci tropicos excurrunt, in eóque ſuas affectiones patiuntur,& efficientias effundunt in inferiora: maxime autem Sol, quem cæteri æmulantur: vt ſicut ille mundi, ſic ipſi Solis viam ſecent, & perambulent. Propterea de Zodiaci ſignis luculenter dicere oportet, eóque magis, quod fixarum vires extra Zodiacum, & configurationes, ab hoc notamus & ſcimus.

2 Sunt imagines Zodiaci in ſtellato cœlo ſupra Saturnum, & incipiunt ab Ariete, deſinuntque in Piſcibus. Annus quoque Chaldæis incipiebat à prima Arietis ſtella, & quatuor quartas efficiebat ibi, & in ♋ & ♎ & ♑. At verò ex Hipparcho vſque ad nos deſcendit inceſſanter Sol ad terram, vt excentricitatis diminutio docet, & circulos breuiores peragrauit continuò, & ad tropicos non vſque excurrit, vt priùs; ſed ſemper paulò minus: vnde fit, vt interſecet æquatorem, etiam priuſquam olim. Ergo non in prima Arietis, vt olim, ſed in Piſcibus cœpit fieri æquinoctium, adeo quod nunc in 2. gradu Piſcium celebratur. Aſtrologi autem veterem doctrinam ſectantes, incipiunt ab æquinoctio verno annũ,vt tempore Moyſi & Abrahami, & ſimul vocant primum punctum æquinoctij primum Arietis, qui iam longè abeſt à primo Arietis gradu quaſi 28. dicuntque hunc nouum Arietem non ſtellatum, illum veterem ſtellatum. Nos igitur in iudicio ex imaginibus ſumendo ſectabimur ſtellatas imagines: in iudicio verò temporum anni non ſtellatas, ſed Solis curſum & ingreſſum in cardines, qui ſua præſentia & abſentia, acceſſu, & receſſu temporum vices & vires conficit.

De Zodiaci diuiſione, ſecundum quam annus diuiditur: quod eſt tempus, quo ipſum peragrat Sol.

ARTIC. III.

1 SIcuti in motu longitudinis conſtituuntur tempora duo, videlicet dies, & nox, propter præſentiam & abſentiam Solis erga nos: ex acceſſu verò & receſſu media tempora fiunt, quæ dicuntur manè & veſpere: ſic etiam in motu latitudinis efficiuntur duo tempora, æſtas & hyems ex præſentia & abſentia Solis. Ex acceſſu quoque & receſſu duo intermedia, videlicet ver & autumnus in noſtro climate. At verò in ſubpolaribus idem eſt

æſtas

æstas & dies, nox & hyems, quoniam sex mensibus illis est præsens, totidemque absens Sol. Sub æquatore verò duæ sunt æstates, quoniam bis Sol ipsum intersecat. itaque quando nobis est ver & autumnus, illis qui incolunt æquinoctialem plagam est æstas,& quidem feruentior quàm nostra. Sunt etiam ibidem duæ hyemes, quando videlicet Sol maximè abest, quod euenit, & dum est in Cancri tropico, & dum in Capricorno. Verum hyemes huiusmodi incolis sunt calidiores nostra æstate, cum Sol non absit ab ipsorum zenith nisi 23. gradibus, qui à nostro degentibus sub poli eleuatione 41. cum est in ♋ abest grad. 26. ferè. Igitur generalem Astrologiam confecturi diuidemus annum & signa multiplici diuisione iuxta regionum ad Zodiacum habitudines.

2 Degentibus igitur inter tropicos & polos Zodiaci in 4. quartas Zodiacus secatur, ita vt quælibet signa habeat tria. Prima incipit ab æquinoctio verno, & continet Arietem, Taurum, & Geminos, non stellatos, desinítque in tropico boreali, fitque ab accessu Solis ad nostrum zenith: vocatúrque calida & humida temperatè: nobísque est sanguinea, & conuenit cum matre pueritiæ animalium, & plantarum, & omnium rerum inferiorum: dicitúrque vernalis.

3 Secunda sectio dicitur æstiualis,continétque ♋ ♌ ♍: & fit à Sole immorante prope zenith, & reduplicante vires non sui gratia, quippe qui accedens, non minus quàm recedens à Cancro, calefacit; sed ratione nostri, qui passi calorem accedentis ex additione recedentis plus æstuamus, nostráque omnia. Et dicitur propterea quarta ista calida & sicca cholerica, conueniens meridiei, & iuuenili robustæque ætati, & rerum perfectioni. incipit à tropico æstiuo, desinítque in æquinoctio.

4 Tertia dicitur autumnalis facta à recessu Solis à signis borealibus,postquam intrat alterum æquinoctium:continétque ♎ ♏ ♐: est sicca, & paululum frigida, conueniens melancholiæ, & absolutæ virili ætati hominum, ac rerum, decrementíque initiis fauet. Incipit ab æquinoctio, desinítque in tropicum alterum.

5 Quarta est hyemalis, quæ incipit in maxima absentia Solis à nobis, quando nimirum parum potest in nostrum clima ob distantiam: proptereáque præualet frigus apud nos tellure vincente, & simul humiditas crassa, vaporibus eleuatis à Sole, non tamen ob imbecillitatem radiorum attenuatis, potiùs quàm in

aquas

aquas frequentes concreſcentibus. Conuenit ergo ſenili ætati, phlegmati & rerum morti, & corruptibilitati. continétque tria ſigna videlicet ♑ ♒ ♓. Et quamuis æquè Sol abſit in quarta iſta, & in præcedenti: tamen quia abſentia duplicatur & frigus in priori præualebat, nunc in poſteriori auctum magis præualet. Similiter & humores craſſi minus attenuantur, donec paulatim accedens Sol reſtituat omnia. Incipit enim à tropico hyemali, & deſinit in æquinoctio vernali.

3 At verò his qui degunt vltra æquatorem ad Antarcticum polum aliter ſe habent iſtæ quartæ, dico in æquidiſtantibus, atque nos, ab æquatore. Nam cum intrat Sol in ♎ incipit illis ver, quapropter nomina ſignorum eſſent ibi immutanda, ita vt Libra vocetur Aries, Scorpius vocetur Taurus, Sagittarius autem Gemini: quatenus tamen à Sole ſigna fiunt iſta, non à figuris. Verum namque eſt, quod in ♎ exaltatur illis Sol, & ſicut Aries percutit terram: & in ♏ colunt terram: & Sol tanquam Taurus ibi cornu petit radiorum, & in ♐ vis eius geminatur, ſicuti nobis in ſigno ♊: cum autem eſt in ♑ proximus illis adeſt, æſtumque facit, ſicut nobis in ♋: cum in ♒ idem ac nobis in ♌, vnde non videtur rectè poni Aquarius, cum aquas tunc illis non det, ſed nobis. Omnes ergo figuræ ſunt permutandæ in ſpatio non ſtellato, quatenus à Sole conſtituuntur: quatenus verò ab ordine ſtellarum, aliter dicerem. Quod nec dicerem, ſi mihi daretur, figuras nouis nomenclaturis donare, vti ratio poſtulat. Priſci igitur Aſtrologi videntur noſtris tantum climatibus conſuluiſſe. At cum Hiſpani vltra tropicum ♑ colonias traduxerint, vtique noua opus habent Aſtrologia.

De quartis anni ſubpolaribus & æquinoctialibus.

ARTIC. IV.

1 SVbpolaribus autem incolis prima quarta anni, quæ ſimul eſt diei, incipit ab introitu Solis in ♈ & deſinit in ♉ nam tunc eſt illis manè & ver: & quantum diei præhabet nobis Aurora & eleuantia Solis tanta ſuper horizontem, quanta fuit linea horoſcoparia ſub horizonte incipientibus crepuſculis, tantum, vel paulò plus, debet ſecundum rationem dari pro manè & vere præfatis regionibus tam arcticis, quam antarcticis. Æſtas autem

& dies

& dies erit à ♉ vsque ad ♍. vesper & autumnus à ♍ vsque ad finem ♎. Reliquum datur hyemi & nocti, his tamen, qui sub arctico degunt polo: nam illis qui sub antarctico fit è contra. Videlicet à ♍ in finem Libræ est ver, & manè, à ♏ in ♑ æstas diesque: à ♑ in ♉ autumnus & vesperа: reliquum datur hyemi & nocti.

2 Habitantibus verò sub æquatore æstatem constituunt ♑ ♈ ♉ & iterum ♍ ♎ ♏. Autumnum & ver faciunt ♊ ♐. hyemem ♋ ♌ hinc: inde ♑ ♒. sic ratio dictat. Oporteret autem per duos annos moram facere, & temporum vices bene adnotare, vt scientia certior prodeat. Nulla autem ratio admittit, vt à cardinalibus punctis quartas ibi exordiamur. Si enim ♈ ♉ ♊ sunt æstas, vtique ♍ ♎ ♏ erunt æstas: quis autem faciet ver & hyemem in cæteris absque absurditate? obseruantur tamen cardines pro rerum initiis & ibi.

De Zodiaci altera diuisione.

ARTIC. V.

1 DIuiduntur in nostris climatibus iterum signa Zodiaci in mobilia, fixa, & communia. Dicuntur mobilia 4. signa prima cardinalia; in quibus incipiunt quatuor anni tempora, videlicet ♈ ♋ ♎ ♑. in ♈ enim & ♎ fit vbique æquinoctium: in ♋ & ♑ retrocedit Sol ab excursu extra æquatorem. Dicuntur autem mobilia, quoniam tunc annus mutat ætatem.

2 Fixa sunt, in quibus tempora anni figuntur, confirmantur, & perseuerant, vt in ♉ ver eiusque temperies, in ♌ æstas eiusque feruor, in ♏ Autumnus eiúsque ariditas, in ♒ hyems eiúsque humiditas, vel frigus.

3 Communia sunt, quæ isthæc & illa intermediant, vbi Sol existens vtriusque temporis constitutionem ostendit, vt in ♊ videntur ver & æstas esse, & hinc transitur ab illo in hanc. in ♍ est æstas & Autumnus, calor enim tepescit, in ♐ est autumni & hyemis constitutio, & statim mutatio in hanc, in ♑ est hyemis & veris: idcirco ab astrologis etiam duplicia dicuntur, & duplici imagine figurantur, vt vides apud Higidium.

4 In subpolaribus, & æquinoctialibus media signa, vel partes signorum, prout fieri potest, vocabis communia principia quartarum, mobilia, consequentia, fixa. patet considerantibus.

Tertia diuiſio ſignorum Zodiaci.

ARTIC. VI.

1 SVnt alia ſigna borealia, vt ſex, quæ ab æquatore in boream polum ſpectant, videlicet ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍. Alia meridionalia quæ vltra ad polum auſtrinum, videlicet ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓. & ſub omni regione ſic ſe habent.

Quarta diuiſio.

ARTIC. VII.

1 SIgnorum alia recta ſunt, alia tortuoſa. Dicuntur recta, quæ in ſphæra obliqua aſcendendo plus occupant temporis, quoniam cum pluribus æquatoris partibus aſcendunt, vnde & multarum aſcenſionum vocantur. Sunt autem iſta ♋ ♌ ♍ ♎ ♏ ♐. Tortuoſa autem ſunt quæ non ſic rectè aſcendunt, vnde breuiori tempore ſuper horizontem eleuantur, quoniam plus de æquatore, quàm de ecliptica, ſubleuatur, & iſta ſunt paucarum aſcenſionum, quæ ſequuntur ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊. quæ autem rectè aſcendunt, tortuosè deſcendunt, & permutant deſcenſiones: è contra quæ tortuosè.

De Antiſciis.

ARTIC. VIII.

SIgna directè aſcendentia dicuntur ſeſe intueri cum tortuosè aſcendentibus, & antiſcia illis, & è contra, quoniam Sol æquat in eis dies diebus, & noctes noctibus: vnde illa ſola dicuntur antiſcia quæ hanc ſeruant æqualitatem, quorum tabellam apponimus.

Tabula Antiſciorum.

Recta	♋	♌	♍	♎	♏	♐
Tortuoſa	♊	♉	♈	♓	♒	♑

Vbi notandum, quod quæ rectè aſcendunt tortuosè deſcendunt,

dunt,& è contra. Item notandum,quod dantur antiſcia odioſa, & non odioſa:quæ hoſtili radio ſe aſpiciunt,vt ♌ & ♉ ♏ & ♒ ſunt odioſa ; quadrato enim ſeſe feriunt , vt mox dicemus. Item notandum quod non ſolum ſignum ſigno eſt antiſcium , ſed etiam gradus gradui : quapropter trigeſimus ♊ eſt antiſcius primo ♋,& vigeſimus ♊ decimo ♋. & quicunque gradus æquè diſtant à tropicis punctis ſic ſe habent , vt palam eſt in Aſtronomia.

De imperantibus & obedientibus, diuiſio quinta.

ARTIC. IX.

1 VOcantur antiſcia ſecunda quæcunq; ſigna & gradus æquè diſtant à punctis æquinoctialibus.Et quoniam ſigna borealia nobis ſunt propinquiora, & planetæ in illis efficaciores erga nos, propterea vocantur ſigna imperantia : meridionalia verò obedientia ob contrarias cauſas.Igitur omne ſignum æquè diſtans ab æquinoctio,ſi eſt boreale imperat ſuo æquidiſtanti auſtrali, vt Aries Piſcibus.

TABELLA.

Imperantia	♈	♉	♎	♑	♌	♍
Obedientia	♓	♒	♐	♑	♍	♎

2 Notandum,quod ſignum ſigno, & gradus gradui in tali æquidiſtantia imperant , vt ♍ imperat ♎ & vigeſimus quintus ♍ imperat quinto Libræ. Item nota , quod quædam imperant odiosè, quæ hoſtiliter ſe ſe aſpiciunt, vt ♌ ♏ & Taurus Aquario, cætera non odiosè , vt patet. Nota quod in plaga meridionali imperant meridionalia, borealia verò obediunt ob oppoſitas cauſas.

De coniunctis & inconiunctis , diuiſio ſexta.

ARTIC. X.

1 DIcuntur tandem coniuncta ſigna , quæ ſe aſpiciunt antiſcio , vel æquidiſtantia , vel radiatione ſextili , aut trigona , aut quadrata, inconiuncta , quæ nullo modo.

2 Regula eſt: omne ſignum mobile eſt inconiunctum ſuo conſequenti & oppoſito, vt Aries Tauro, & Scorpioni. Omne ſignum commune eſt inconiunctum ſuo antecedenti, & oppoſito, vt Gemini, Tauro & Scorpioni. Omne fixum eſt inconiunctum antecedenti, & conſequenti ſuo, & oppoſitis, vt Taurus Arieti, & Geminis, & ergo Libræ & Sagittario: ſi tamen ſemiſextilis aſpectus non valet, ſic de cæteris dices. Oppoſitum dicimus ſignum, quod ab altero per diametrum diſtat, hoc eſt medium circuli, qui eſt 150, gradus.

Septima diuiſio ſignorum Zodiaci, in ſexu.

ARTIC. XI.

SVnt alia ſigna maſculina, eadémque diurna: alia fœminina, eadémque nocturna: vt ſi incipias ab ♈ vſque ad finem, ſemper alterum præcedit maſcul. alterum ſuccedit fœmin.

Diurna	♈ ♊ ♌ ♎ ♐ ♒	ſunt maſculina.
Nocturna	♉ ♋ ♍ ♏ ♑ ♓	fœminina.

Rationem non aſſignant Aſtrologi. Puto tamen inde manare hanc diuiſionem quod Sol in ♈ fortiter agens maſculum imitatur, in ♉ verò nihil noui faciens, ſed confirmans tempus, fœminam. In ♊ rurſus ad mutationem prouocans maſculeſcit, quam in ♋ non varians fœmineſcit, & ſic de cæteris. inde Metaph. Platonici id copulæ tribuunt ſexuum & ſucceſſioni ex Plotino.

De Stellarum declinationibus & latitudinibus.

CAPVT V. ARTIC. I.

DEclinare dicuntur fixæ & erraticæ, reſpectu æquatoris, à quo diſtant vel recedunt in alterutrius poli plagam: ita quod & borealem, & auſtralem habent declinationem. Sed erraticæ continuò

tinuò ipſam mutant, prout nunc ſigna auſtralia, nunc borealia permeant: itémque prout lātitudinem quoque à Solis via augent vel minuunt: Fixas verò perennem habere declinationem eandem viſum eſt priſcis Mathematicis. Cum verò iam patefactum ſit Solem præuenire æquinoctia, vel quoniam fixæ in poſteriora etiam tardiſſimo feruntur motu, vti placet Ptolemaicis, aut quia æquator eſt in tellure,& inclinatur ad Zodiacum, vt Coperniceis videtur: aut quoniam Sol anguſtiores circulos propinquior telluri factus deſcribit: idcircóque præuenit ſectionem æquatoris, ſicuti Luna Zodiaci, diſcurrentibus nodis, vti nos ſcribebamus: Propterea neceſſe eſt declinationem fixarum variari pedetentim. Quæ variatio res grandes tardáſque efficit, & mutationes ſæculorum: introitus enim magnarum ſtellarum de ſigno in ſignum transfert regna regionum, quibus præſunt, vt infrà videbimus. Quapropter oportet hæc notiſſima etiam Aſtrologo ex Aſtronomia,& motibus,& anomaliis. de quibus alias.

2 Latitudo verò dicitur ab ecliptica, quæ eſt Solis via, digreſſus. Et alia eſt auſtralis, alia borealis: & variatur in fixis, prout Zodiaci & quantum obliquitas variatur. quod nos ita eſſe ſemper contendimus contra Coperniceos, donec Thyco, & Lantgrauius ſic eſſe manifeſtiſſimis obſeruationibus probarunt. Quoniam ergo 24. ferè minutis variata eſt obliquitas,& fixæ in alia & alia Zodiaci parte aliter illam variationem patiuntur: propterea notum eſſe oportet Aſtrologo, vt iudicia ſua illis adaptare non ignoret.

3 In erraticis verò certa eſt latitudo: quoniam quemadmodum Solis via interſecat æquatorem, ſic viæ erraticarum viam Solis. Et puncta interſectionis vocantur nodi,& qui transfert Planetam ad Auſtrum vocatur nodus deuehens, & Caudra Draconis; qui ad Boream, euehens,& Caput Draconis.

4 Incedunt omnium Planetarum nodi in antecedentia ſignorum ſicuti nodi Zodiaci in æquatore. Manifeſtiſſimi autem ſunt lunares, tria minuta in die conficientes in anteriora, qui in ephemeridibus notantur. Cæterorum verò non ſic exacta eſt notitia: quoniam tardiſſimi ſunt: ita vt priſcis ſtabiles apparerent. Copernicus autem mobiles deprehendit, ſicut & abſides. Quorum quidem mutatio ſignificationem habet in rebus magnis, ſicuti infra docebimus. Nodus Boreus ſic ſignatur ☊, Auſtr. ſic ☋.

5 Oportet igitur adnotare, quanta eſt ſingulorum Planetarum

latitudo,tam ab Boream,quàm ad Auſtrum : & vbi ſunt locorum Zodiaci eorum nodi,& vbi ventres , ſeu potius tropici. Ad inſtar enim Solis , cùm ad certos limites deuenerint , reuertuntur ad eclipticam , vt ille ad æquatorem. Et quoniam latitudo non ſub vno ſigno in oppoſitum ſemper eſt eadem , ſed variatur in Planetis , ideo & vbi eſt variatio, platicè ſaltem , in tabella ſignabimus quatenus noſtro ſæculo congruit. Oportet enim in ſequentibus mutari : nec certum mutationis ſpatium. Ideo ad obſeruationes recurrendum & ephemerides nouas ſemper.

B.Trop. Auſtr.I.

			☌	☍		
♄	Lat·Bor·3·2·	Auſtr.3.5.	9.2.♌	9.2.♏	9.2.♒	9.2.♉
♃	Bor.8r.2.4.	Auſtr.2.7.	26.36.69.	26.35.♎	26.36.♑	26·36·♈
♂	B. 4.30.	Auſtr.6.50.	28.18.♉	28.18.♌	28.18.♏	28·18·♒
♀	B. 6. 22.	Auſtr.6.22.	16.15♓	16.15.♊	16.15.♍	16.15.♐
☿	B. 4. 5.	A. 4.14.	29.54♌	29.54.♏	29.54.♒	29.54.♉
☽	B. 5.0.	A. 5. 0.				
In.□	B. 5.17.30	ex Thycone:& in gradu 45.à Sole lat.B.eſt 6.grad.				

6 Cum ſunt Planetæ in boreali latitudine,ſunt nobis efficaciores : his verò qui vltra æquatorem habitant,è contra.

7 ♌ reputatur de natura ♃ : & cum bonis eſt bonus, quoniam auget eorum vires ; & cum malis malus,ob idem. Ergo non rectè ponunt ipſum de natura ♃ : ſed ſolam vim augmentatiuam adſcribere ei debuiſſent. Nec rectè ponitur ♀ de natura ♄,quandoquidem minuit decreta maleficorum & beneficorum, quibus aſſociatur. Ergo vim minuendi ſolùm habet in noſtris regionibus. At in meridionalibus è contra,♀ auget,♌ minuit:quoniam tranſeunt Planetæ in loca propria,vel aliena. Situs autem Lunæ valdè afficit inferiora : idcirco eius nodi cum cæteris Planetis habent vires apparentes.

De variabili ſtellarum ſitu ex mutatione cœli variabili, vnde figuræ eriguntur.

CAPVT VI. ARTIC. I.

1 DIuidit diaria variabilis conuerſio cœlum nobis, non ſecus atque annua immutabilis, in duas partes, & in quatuor quartas, & in 12. domos correſpondentes partitioni in borealia ſigna & auſtralia: item in quatuor anni quartas: item in 12. ſigna. Meridianus enim circulus inſtar æquatoris ſecat cœlum in aſcendentem, & deſcendentem portionem. Meridianus autem ab horizonte diſpenſatur, ita vt fiant quatuor quartæ, ſicuti à Zodiaco æquator. Rurſus omnis quarta à circulis poſitionis in tria diuiditur domicilia, vt patet in figuræ cœleſtis erectione: ſicuti omnis quarta anni in 3. ſigna, & gradus 90.

2 Prima quarta incipit ab angulo orientali horizontis vſque ad zenith, ſeu medium cœli: & vocatur orientalis maſculina, calida, & humida, ſanguinea, primæ conueniens ætati: vnde Subſolani ſpirant venti. Ponitur nihilominus Ptolemæo calida, ſiccáque: quoniam Sol nocturnos diſſoluit tunc vapores craſſos, exſiccátque nobis aërem: quamuis potius humiditas ſit illa tenuitas. At quidem poſtquam aſcendit 45. gradus videtur diſſoluere: in principio autem potius mouere humiditates craſſas. Continet hæc quarta domum decimam, vndecimam, & duodecimam. Prima enim ſub horizonte fit, & contra ſignorum ſeriem numerando cor cœli fit decima.


3 Secunda quarta continet nonam, octauam, & ſeptimam domos vſque ad finitorem occidentalem: calida, ſiccáque ex æſtu Solis & ventis Notis: cholerica, meridiana, & fœminea. Sed mirum quomodo fœminea ſit calida ſiccáque. Fortaſſe quoniam tendit ad occaſum noſtrum Sol, nec perficit quod tunc incipit, veluti in quarta orientali cum aſcendit.

4 Tertia ab angulo occidentis vſque ad meridianum ſubterraneum complectens ſextam, quintam, & quartam domos. Vocatur occidentalis, maſculina, melancholica, frigida, ſiccáque Arabibus: cum Ptolemæus humidam potius dicat, quoniam fauonij ſunt ab ea teneri, madidíque: & humiditas in die conſumpta refici incipit.

pit. Quapropter conferuntur nobis hæ quartæ: & cuilibet regioni, immo ciuitati, propriæ ſuæ ſunt, aliæ atque aliæ, veluti & finitores innumeri.

5 Quarta habet tertiam, ſecundam & primam domos. Vocatúrque ſeptentrionalis fœminea, & recedens, phlegmatica, frigida, humida, ventis ſeptentrionalibus dicata congelatoribus. harum figuram hic habes.

6 Nota quod prima & tertia vocantur orientales in ſectione ſigniferi. Sic Luna & Planetæ priores dicuntur orientales ab coniunctionibus, & oppoſitionibus ad ſua quadrata immediatè ſequentia. In cæteris quartis ſunt occidentales Ptolemæo: inferiores verò à ſynodo in ſynodum cum Sole.



7 Harum domorum quatuor ſunt angulares: vt prima, quarta, ſeptima, decima, vbi potentiſſimæ ſunt vires ſtellarum. Aliæ ſuccedentes, quoniam ſuccedunt angulis prædictis quatuor in ſitu mundi, vt ſecunda, quinta, octaua, vndecima, in quibus ſunt vires mediocres. Aliæ dicuntur cadentes, vt tertia, ſexta, nona, duodecima, quoniam cadunt ab angulis valde, & pigræ ſunt, deiectæque. Verum illæ quæ horoſcopo configurantur, ſunt meliores, etiam ſuccedentibus non configuratis, vt tertia & nona: magis autem, quæ ſupra terram, vt nona, & quia inſequitur cœli culmen longè melior eſt, quàm octaua. Et ex ſuccedentibus optima eſt vndecima, poſtea ſecunda, poſtea quinta ex angulis M. C. deinde horoſcopus, deinde ſeptima, vltimò quarta.

8 Qua ratione ſit erigenda figura nondum Aſtrologi prorſus

conue

conuenere. Alcabitij tamen dogma videtur rationabile satis: ac directiones iuxta Ptolemæi regulas faciendæ illi apprimè conueniunt. Vide lib.6. cap.2. huius operis.

De Planetarum dignitatibus.

CAPVT VII. ARTIC. I.

1 HAbent Planetæ in Zodiaco, præter fortuitas iam dictas passiones, alias adhuc proprias potestates: in aliis enim & aliis locis aliter præualent alij, experientia ac ratione testantibus. Videntúrque esse potestates eorum septem, videlicet Domus, vbi sunt tanquam in sua domo: Trigonus, vbi tanquam in familiaribus: Exaltatio, vbi tanquam in regno: Terminus, vbi tanquam in prædiolo suo: Carpentum, vbi tanquam in ostentatione virtutis suæ: Persona, vbi tanquam in regis conspectu: Gaudium, vbi sicut in solemnitate sua.

De Domibus Planetarum.

ARTIC. II.

1 NOn modo experientia testatur, Solem in Leone robustissimas adipisci vires ad nos, esséque in eo tanquam in sua domo: sed ratio ipsa idem vult, vt vbi plus potest, ibi cuique sit suum habitaculum. Sic & Habacuch ait: Sol & Luna steterunt in habitaculo suo. Quapropter sicuti Soli assignamus Leonem signum masculinum, igneum, quoniam in eo suas vires ostendit: sic Lunæ Cancrum, fœmineum, quoniam nobis est proximum, vbi Luna valide suas ostendit nobis vires. Quapropter tota medietas cœli ex ♌ ad ♑ videtur Soli conuenire; Lunæ verò ex ♋ in ♒.

2 Proximas hisce domos duas habet Mercurius: quoniam à Sole omnium minimè digreditur, non plus 27. grad. & tale illi domicilium conuenit, qualem habet ad Luminaria situm perennem. Vires autem situs magnes & ferrum & alia multa manifestant. Sunt ergo eius signa ♊ & ♍ duplicia iuxta ☿ duplicitatem.

3 Proximas deinde sortitur Venus: quoniam & ipsa Luminaris


est socia, nec ab eo vltra 48. gradus exspatiatur. Ergo situm seruans naturalem, post ☿ sedes habet Luminaribus proximas. Sunt ergo eius domus ♉ & ♎, in quibus etiam ipsa videtur proprias vires plus ostentare.

4 Sequuntur domus Martis, qui Luminaribus non satis amicus quadrato hostili ex suis domibus illa aspicit. Sunt enim Aries & Scorpius, in quibus etiam Sol martiales vires videtur habere. Ob calorem tamen conuenit Luminaribus ex parte: idcirco succedit.

5 Sequitur Iupiter, cuius domus sunt Sagittarius & Pisces fœcunda signa instar Iouis: & Luminarium domos amicissima trigona radiatione respiciunt: conuenítque ♃ temperiei talis distantia.

6 Saturnus tandem frigidus, siccúsque, Luminaribus infensus, maximè domibus remotissimis à Luminaribus contentatur: ibi enim maximè vires suas ostendit, vbi ab his non impeditur, aspicítque eos diametri inimicitia maxima. Sunt autem eius Capricornus, & Aquarius.

7 Itaque vnicuique Planetæ duplex est domus, quas non imperitè Arabes in diurnas, & nocturnas partiuntur. Luminaria verò vnam tantum habent, & succedentia signa, vt dictum est. Item, quia causæ generales specialibus specificantibus pauciores esse debent.



8 Sciendum quod domus oppositæ domibus Planetæ cuiusque dicuntur detrimenta, & exilia: quoniam ibi maximè eorum virtus debilitatur. Dicitur autem oppósita, quæ distat 180. gradibus, vt infra docebimus.

De

De domibus Planetarum erga subpolares & aequinoctiales & aequidistantes nobis ab aequatore incolas.

ARTIC. III.

1 HIs autem, qui habitant vltra æquatorem ad polum spectantes austrinum nobiscum æquidistantes ab æquatore, domus Planetarum contrario se habent situ. Quia enim Luna illis propinquissima est in ♑, potentérque agit in corpora ibi inferiora, domus ♑ est Lunæ: Solis verò Aquarius: quoniam licèt propinquior in ♑, tamen in ♒ vis eius roboratur ex patientis impressione iam facta: quod Luna non facit, quoniam velox est, Sol autem immoratur in vno signo 30. dies. Igitur quoniam Saturnus in ♑ & ♒ minus ibi valet, quoniam à Luminaribus domus illæ erga sua inferiora roboratæ sunt, non autem erga nostra: propterea ♋ & ♌ sunt Saturni domus Australibus populis. Igitur Mercurij erunt Sagittarius & Pisces: Veneris, Scorpius & Aries: Martis, Libra & Taurus: Iouis, Virgo & Gemini: eisdem sanè rationibus conuersis, quæ supra. Hinc patet non esse symbolum Planetis cum certis signis cœli, sed cum stellis conuenientibus in colore & operatione: fortasse etiam cum figuris. Sed hoc non facit domicilium, nam in ♊ sunt plurimæ stellæ martiales, in ♈ pauciſſimæ hoc tempore: nihilominus non est ♊ signum ♂, sed ☿. Ergo quoniam Sol, vbi imminet potentissimus, & Luna propinquissima faciunt effectus grandes, quales Luminaribus conueniunt: propterea sunt domus Luminarium vbicunque talis propinquitas, & robur, est eorum ad inferiora sua. Et quoniam vbi paulum distant, faciunt effectus conuenientes Mercurio, agendo debilioribus viribus: idcirco illa signa talis distantiæ dantur Mercurio, & dicitur in eis gaudere Mercurius respectu subiectorum tali situi: quoniam ibi potest vires tales ostendere, quoniam Luminaria sic affecere inferiora talia, vt calor ☿. Vbi verò magis distant, faciunt effectus conuenientes calori Veneris. Propterea Venus ibi potest, & sortitur domum, respectu tamen inferiorum corporum, non sui. & sic de cæteris, donec venias ad maximam

distantiam, in qua debilissimi caloris, & praui, ob insuperabilitatem patientis, qualis nimirum Saturno cõgruit calor, edunt Luminaria effectum. Idcirco distantissima signa cuique regioni Saturnus dicitur habitare ob dictas causas.

2 Subpolaribus verò populis eodem modo domus numerantur: nam Arctois ♋ & ♌ sunt Luminarium ♄ & ♒ Saturni: Antarctois verò è contra. Reliqua igitur vt in primis se habent.

3 At sub æquatore degentibus, ♈ & ♎ sunt domus Solis, quoniam ibi est validissimus illis: nec in ♍ & ♉ erit validior quàm in ♈ & ♎. Sicuti nobis est validior in ♌ quàm in ♋, quoniam ita auget actionem in ♐ & ♓, sicut in ♉ & ♍. non autem sic in ♊ sicut in ♌ erga nos, cum ibi accedat, hic vicini iam roboris vires duplicet. Sub æquatore autem accessus & recessus est par situ & viribus.


4 Saturno igitur dabuntur ♋ & ♄ sub æquatore, quoniam in illis minimas vires erga eos habet. Luna autem possidebit easdem cum Sole domos, quoniam ibi maximè imminet, nisi velis ♉ & ♍ Soli, vel dimidium horum, assignare: Lunæ verò cardines ♈ & ♎. Quod Æthyopes & Taprobrani, & Hispani sub æquatore colonias possidentes, possunt melius per experientiam discere. interim hæc nos ita ratiocinamur.

5 Ioui & Veneri dabimus temperatiores partes signorum: Marti feruentiores: Mercurio, Luminaribus propinquiores. Nam signa integra illis distribuere tali in situ impossibile est. Necesse est ante & ponè seu vtrinque domos multiplicare iuxta dictam rationem: & Luminaribus non vnam, sed duas, assignare: similiter cæteris pro distantia ab illis duobus oppositis ex accessu ad extremos saturninos. vt in sequenti figura.

De

De exaltationibus Planetarum.

ARTIC. IV.



SEcunda dignitas vocatur Exaltatio. Compertum est enim in certis signis planetas sic affici, vt vires suas potenter exerceant in inferiora. Diu dubitaui, an ex apogæo ortum duxerit exaltationis dignitas. Vbi enim eleuatur planeta realiter, ibi dicitur exaltari. Sed Astrologi contendunt non de planetæ, sed actionis altitudine esse hic sentiendum. Nam loca apogæorum valde distant à locis exaltationum. Sed cum apogæa progrediantur dici fortè cœpit dignitas hæc in apogæis, quibus translatis remansit Astrologis prior sermo. Sicuti etiam in ☌ nunc Arietem ponimus non stellatum. Mox in Plinio eandem sententiam inueni. Sed cum veteres, teste Ptolemæo, de apogæorum stabilitate, nil dubitarint, & exaltationes ab eis valde discrepent, nullis translatæ obseruationibus adducor vt credam Astrologis. Nam etsi Solis apogæum ab ♈ in ♋. potuerit incedere, quod non est obseruatum: tamen ♂ à ♄ in ♋ eodem tempore non potuit peruenire: vt mensura motus eius apud Copernicum & alios conuincit. Vtcumque sit, traditioni inhærendum, quam experientia iuuat, non confutat.

1 Dicitur ergo Sol exaltari in ♈: quoniam ibi primum suas maiusculas exerit vires post hyemale frigus.

2 Luna in ♉: quoniam post primam copulam cum Sole exaltato in ♈ ibi tunc Luna primum sese ostendit nobis.

3 Saturnus in ♎: quoniam cum Soli sit maximè infensus, in

eius deiectione ipſe exaltatur. Profecto Sol in ♎ incipit vires imbecilles oſtendere nobis : ideóque meritò quartam anni melancholicam in ♄ dignitate incipit. quod ſignum quatenus eſt blandi caloris, & fructuum autumnalium ferax, datur etiam Veneri pro domo, non pro exaltatione.

4 Iupiter in ♋ exaltatur, quoniam ſignum eſt boreale nobis proximum, Septentrionalium ſalubrium ventorum author. & tunc nobis ♃ maximè fauet.

5 Datur exaltationi Martis Capricornus in oppoſitione Iouis : quoniam, cum ſit remotiſſimum ſignum, ideóque nobis frigidiſſimum, calorem Martis temperat, vt aiunt. Mihi autem videtur ♂ ibi per antiperiſtaſim vires ſumere fulgurandi & tonandi, & vapores fumoſos educendi, qui in ♋ ſoluuntur magis, nec impreſſiones tales proferunt.

6 Venus ob ſuam humiditatem fœcundam in ♓ exaltatur. Et quidem ♀ vires ſentiunt omnia Sole ibi exiſtente : & imprægnantur arbores & animalia.

7 Mercurius verò aridus natura in ♍ vbi iam ab æſtiuo calore conſumpti ſunt vapores, & exſiccata tellus, & calor incipit leniri, & fieri acumen aëris & ſpírituum non impeditum.

8 Signa verò oppoſita dicuntur caſus & deiectiones, vt in hac tabella.

Deiect.	☉	☽	♄	♃	♂	♀	☿
	♈	♉	♎	♋	♑	♓	♍
Caſus	♎	♏	♈	♑	♋	♍	♓

De exaltationibus in altero hemicyclo.

APPENDIX.

1 SI autem hac ratione diſtribuuntur exaltationes manifeſtum eſt, quod in altero hemicyclo vltra æquatorem aliter ſe habent. Sol enim in ♎ ibi incipit vires exerere. ergo in ♎ exaltatur his qui incolunt promontorium bonæ ſpei & magellanicas anguſtias,

ſtias, & inſulas Oceani meridionalis. ergo Luna in ♒ ob præfatæ conſimilem cauſam. ergo Saturnus in ♈, vbi minoratur actio Solis. ergo Iupiter in ♄ illis proximo ſigno. ergo Mars in ♋ diſtantiſſimo. ergo Venus in ♍, & Mercurius in ♓. vt ratio prima docebat.


De Triplicitatibus Planetarum.

ARTIC. V.

1 TRiplicitas eſt tertia, ordine & viribus, dignitas, quam ſortiuntur planetæ in diſtributione ſignorum Zodiaci ex domicilio & exaltatione & ſecta, quam quiſque habet.

2 Secatur in quatuor triangulos duodenus ſignorum numerus, in quorum quolibet reperitur ſignum fixum, & mobile, & commune. maximéque poteſt planeta qui fixo dominatur. Sunt tamen omnia ſigna trianguli vnius & eiuſdem ſexus, conditionis, & radiationis, amiciſſimi aſpectus, quem trinum vocabimus: vt patent in hac figura. Vbi

3 Primus triangulus eſt ♈ ♌ ♐ igneus, maſculinus, diurnus. In quo ſunt domini ☉ & ♃: ſed ille in die magis, iſte in nocte primatum habet. Vocatur à Ptolemæo Borrholybicus, ex boreali, & lybico, quos mouet intermedios ventos. mouet enim occidentales ob Martem dominum ♈, & Septentrionales ob Iouem ♐. Sol etiam



generalis eſt cauſa, nec proprium habet vllum. Aſſignatúrque Europæ fortiſſimæ partium mundi à Ptolemæo, ſed ab Arabibus orientali plagæ: quibus experientia refragatur, & ventorum natura hinc excitatorum.

4 Secundus continet ſigna tria fœminina nocturnaque ♉ ♍ ♑.

ideò

ideò vocatur terraneus, frigidus, ſiccus, cui præficiuntur ♀ ☽: illáque in die, iſta in nocte primatum gerit. Dicitúrque Ptolemæo Notapeliotes, eo quod ventos mouet inter orientem & meridiem: proptereáque partibus meridianis Aſiæ datur oppoſitis Europæ: ♀ namque in ♉ meridionales habet ventos ob ſuam humiditatem calidam participantes cum ♄, qui dominatur in Oriente ob ♃, ſucceditque Lunæ in hac dignitate generali cauſæ, ſicuti in primo trigono Mars Soli. Arabes meridianæ plagæ hanc adoptant, quibus non ſuffragantur peritiores.

5 Tertius habet ♊ ♎ ♒, vocatúrque aëreus Arabibus doctrinaliter: quoniam plus in ventis & aëre valet. Putatúrque occidentalis, ſed Ptolemæo Borrhapelioticus, quoniam habet ventos ex Borea & Subſolano mixtos. dominantur enim in hoc trigono ♄ & ☿. ♄ habet ventos orientales. ☿ autem eſt communis. propterea ♃ aſſociatur illi dans boreales contemporaneitatis cauſa. dominatur autem Aſiæ Septentrionali, id eſt Tartaris, Cataneis, Iaponenſibus & Sinenſibus. Ex parte eſt maſculinus diurnus.

6 Quartus fœmineus, nocturnus, & aqueus dicitur: continétque eiuſmodi ſigna, videlicet ♋ ♏ ♓. Habet Martem principalem dominum, qui ſigno fixo præeſt, ſed de die conſociatur ei ♀ de nocte ☽. putatur Arabibus Septentrionalis: ſed Ptolemæo Notolybicus: quoniam ventos mouet inter meridiem & occaſum. præcipuè autem in Occidentales dominatur Africæ.

7 Nota quòd, ſicut humores corporis humani omnes ſunt à calore geniti, attamen aſſignantur quatuor elementis doctrinaliter, ita vt phlegma frigidum dicatur & humidum, cum ſit craſſius bili, & minus calidum, modo ſic loquimur etiam de triangulis in hac doctrina.

De Triangulis in altero hemicyclo.

APPENDIX.

1 NOn ſunt iidem trianguli vltra æquatorem ad Antarcticum: quoniam non eadem ſigna hic & ibi ſunt eorundem planetarum, vt diximus de domibus loquendo.

2 Qua

2 Quapropter ♎ ♒ & ♊ dantur Soli & Ioui cum Martis ſucceſſione. ♈ ♌ ♋. ſunt Trigonus ☽ & ♀, ea ratione qua apud nos ♉ ♍ ♑. Item ♑ ♈ ♉ ſunt ♄ & ☿: & tandem ♑ ♉ ♍ faciunt triangulum aqueum ♂, cui aſſociantur ♀ & ☽, vt ſupra. Sic primus igneus, ſecundus terreus, tertius aëreus dicuntur: mutántque ſexum eadem cauſa.

De triangulis in nouo orbe.

APPENDIX.

1 EOdem modo ſe habent trianguli in America, ſed in parte boreali citra æquatorem, ſicuti nobis in auſtrali vltra, ſicuti iam memoraui in altero hemicyclo.

2 His verò, qui ſub æquatore habitant, duplicantur, vt ex mediis fiunt ſignis, prout de domibus loquentes conſiderabamus.

De Terminis Planetarum.

ARTIC. VI.

1 POſtrema ac minima dignitas eſt Terminus: quoniam in ſingulis ſignis aliquid poſſe Planetas ſingulos compertum habetur, ſed in quibuſdam gradibus quoſdam. At equidem niſi à Deo reueletur hoc negotium, haud credam potuiſſe ſingulorum graduum plurima experimenta facta fuiſſe ſatis vt inde ſcientia prodiret. Potius autem exiſtimem quadam ratione ſucceſſionis rerum motos Aſtrologos taliter terminos aſſignaſſe, vt dominatores ſignorum habeant priores partes, cæteri poſteriores, poſtremas autem malefici, vt patet. Vnde controuerſia multa eſt de terminis, cum alij Chaldæos, alij Ægyptios, alij Ptolemæi librum ſemilacerum inuentum, cum ipſo ſectentur in terminorum aſſignatione. Placet autem tabellam apponere, & experturis relinquere iudicium. Ego enim de his nil certi me habere profiteor, niſi quod ratiocinatio prædicat: In omnibus terminis, & bonos & malos euentus experiri.

Termini Ægyptiorum.

♈	♐ 6.	♀ 12.	☿ 20.	♂ 25.	♄ 30.	♐ 6.	♀ 14.	☿ 21.	♂ 26.	♄ 30.
♉	♀ 8.	☿ 14.	♐ 22.	♄ 27.	♂ 30.	♀ 8.	☿ 15.	♐ 22.	♄ 26.	♂ 30.
♊	☿ 6.	♐ 12.	♀ 17.	♂ 24.	♄ 30.	☿ 7.	♐ 14.	♀ 21.	♄ 25.	♂ 30.
♋	♂ 7.	♀ 13.	☿ 19.	♐ 26.	♄ 30.	♂ 6.	♐ 13.	☿ 20.	♀ 27.	♄ 30.
♌	♐ 6.	♀ 11.	♄ 18.	☿ 24.	♂ 30.	♄ 6.	☿ 13.	♀ 19.	♐ 25.	♂ 30.
♍	☿ 7.	♀ 17.	♐ 21.	♂ 28.	♄ 30.	☿ 7.	♀ 13.	♐ 18.	♄ 24.	♂ 30.
♎	♄ 6.	☿ 14	♐ 21.	♀ 28.	♂ 30.	♄ 6.	♀ 11.	♐ 19.	☿ 24.	♂ 30.
♏	♂ 7.	♀ 11.	☿ 19.	♐ 24.	♄ 30.	♂ 6.	♐ 14.	♀ 21.	☿ 27.	♄ 30.
♐	♐ 12.	♀ 17.	☿ 21.	♄ 26.	♂ 30.	♐ 8.	♀ 14.	☿ 19.	♄ 25.	♂ 30.
♑	☿ 7.	♐ 14.	♀ 22.	♄ 26.	♂ 30.	♀ 6.	☿ 12.	♐ 19.	♂ 25.	♄ 30.
♒	♀ 7.	♀ 13.	♐ 20.	♂ 25.	♄ 30.	♄ 6.	☿ 12.	♀ 20.	♐ 25.	♂ 30.
♓	♀ 12.	♐ 16.	☿ 19.	♂ 28.	♄ 30.	♀ 8.	♐ 14.	☿ 20.	♂ 26.	♄ 30.

2 Ex his patet quod termini priores, atque plures, assignandi sunt Planetis plures habentibus dignitates in eodem signo, cæteris pauciores pro rata dignitatum.

3 Non dantur termini Luminaribus, quoniam terminus specificat effectum : Luminare autem generaliter operatur. Sed omnia signa à ♌ in ♑ sunt quasi termini ✳, vti à ♋ in ♒).

4 Aduertendum quod termini non sunt vbique locorum iidem, sicuti neque dignitates,& domus:propterea que in hemicyclo vltra æquatorem terminos Arietis ponemus in ♎ &,è contra : sic ♉ in ♏, & è contra : & ♊ in ♐,& sic de cæteris seriatim : quoniam assignati sunt iuxta dignitates, quæ etiam permutantur:vt dictum est priùs.

De

De Carpentis.

ARTIC. VII.

1 DIcitur esse Planeta in suo Carpento, vel solio, vel throno, quando est in obliquo signo, vbi plures habet dignitates, sicuti ♀ in ♌ exaltationem & triplicitatem. tunc in eis vis multiplicatur.

De Persona.

ARTIC. VIII.

1 DIcitur esse Planeta in sua persona, quando eo modo configuratur Luminarium alteri, quo domus eius respicit domum Luminaris : ita tamen vt sit occidentalis ad Solem, & orientalis ad Lunam. respiciat ergo Lunam contra ordinem signorum: Solem verò, secundum ordinem. Sic ♄ est in sua persona, quando quinque signis taliter à Luminaribus distat, ♃ quatuor, ♂ tribus, ♀ duobus, ☿ vno.

2 Habet fundamentum in situ ista dignitas. res enim ad originalem positionem sponte conuertuntur, vt magnes. igitur gaudent tali positione. vocatur dignitas ista Arabibus Almugea.

De Gaudio.

ARTIC. IX.

1 IN gaudio suo tunc reputatur Planeta, cum in amicorum dignitatibus reperitur, vt nocturni in nocturnis signis, & diurni in diurnis, masculi in masculis : vt ♃ in domo ♀.

De Planetarum passionibus, prout ad Solem conferuntur.

CAPVT VIII. ARTIC. I.

1 DIcuntur Planetæ esse in corde Solis, & combusti, & sub radiis, & matutini & vespertini à Sole: & aucti, & diminuti lumine.

2 In corde Solis dicitur, quando planeta eſt illi iunctus ſecundum longitudinem & latitudinem centraliter, ſeu tanto ſpatio quantum componunt vtriuſque ſemidiametri. Verbi gratia Solis eſt diameter min. 30. ſecundum Thyconem in apogæo; ♀ autem 3 ½. ergo cum erit ſpatium coniunctionis min. 16. & ſec. 38. ferè, dicitur ♀ in corde Solis,& tunc putatur potentiſſima, quoniam efficiunt vnum agens magnæ efficaciæ.

3 Combuſtus reputatur, quando minùs ſui orbis medietate à Sole diſtat. Eſt autem orbis lucis ♀ grad. 8. Comburitur ergo quando diſtat tribus,vel minus quatuor.

4 Dicitur ſub radiis,quando extra ſui orbis medietatem à Sole diſtat, ſed tamen intra ſpatium, quod aggregatum orbium vtriuſque componit,vt quoniam ☀ 17. gradus orbis habet, ♀ verò 8. dicitur ſub radiis ab quinto gradu vſque ad 20.ferè: vel,vt alij dicunt,donec videri nequit. quando autem poteſt videri require ab Aſtronomia.Et in hoc ſtatu eſt minus debilis Planeta:debiliſſimus autem eſt vti combuſtus. Sed ☿ ob frequentiam combuſtione non ſic læditur.

5 Orientales à Sole vocantur, quando mane ante Solem apparent ſuper horizontem : hoc autem euenit ♄ ♂ & ♃ à coniunctione ſua cum ☀ vſque ad oppoſitionem. E contra ſunt occidentales à Sole quando apparent in horizonte poſt Solis occaſum,hoc eſt,ab oppoſitione ad coniunctionem.

6 Dicuntur in coniunctione eſſe in abſide ſuperiori, & velociſſimi in poſteriora ſignorum : in oppoſitione verò ſunt in abſide inferiori,& tardiſſimi in poſteriora,ſed velociſſimi in anteriora ob circuli breuitatem : proptereáque vocantur retrogradi ad motum ſubdeficientiæ. Habéntque hinc quatuor ſtatus. Primus ab ortu matutino, vſque ad ſtationem matutinam, ſeu primam : & tunc ſunt humidi. Secundus à ſtatione prima vſquequo noctu oriantur occidentales à ☀ & ſunt calidi. Tertius à nocturno exortu ad ſtationem ſecundam, in quo deſiccant. Quartus à ſtatione ſecunda vſque ad ortum. & in hoc ſunt frigidi vt aliqui docent. Verum enim palam eſt retrogrados eſſe terræ propinquiores, & calefacientiores.

7 Mercurius & Venus ſunt orientales, & occidentales, prout Solem præcedunt aut ſequuntur. Et quoniam Solem circundant habent ortum matutinum poſt retroceſſionem, cum ante Solem apparent : occaſum matutinum, cum occultantur à Sole aſcen-

dentes

dentes abſidem : ortum veſpertinum , cum poſt Solem ab abſide noctu ſuper horizontem occidentalem apparent : occaſum veſpertinum , cum ad perigæum properant in ſecunda ſtatione ob breuitatem circuli Solem aſſequentes à quo heliacè occultantur : ortum autem & occaſum coſmicum vnà cum Sole patiuntur. Sunt ergo à coniunctione in coniunctionem orientales & occidentales.

8 Luna eſt orientalis ab oppoſitione ad coniunctionem , quoniam ante Solem mane apparet : occidentalis à coniunctione ad oppoſitionem , quoniam poſt Solem in ſero apparet. Habet quatuor affectiones in quatuor quartis. nam à coniunctione ad primam quartam eſt humida magis quam calida : in ſecunda quarta vſque ad oppoſitionem magis calida, quàm ſicca : in tertia ab oppoſitione ad ſequentem quartam ſicca magis quam frigida : deinde vſque ad coniunctionem potius frigida, quam ſicca : refértque diei & anni tempora. Sed ratione Zodiaci prima & tertia quarta ſunt orientales in iudiciis : reliquæ occidentales in Luna per ſe, non ad Solem.

9 Planetæ ſunt aucti lumine , quando à Sole recedunt , vel Sol ab eis : ſic enim eorum lumen minus abſconditur : minuti lumine è contra , cùm ad Solem accedunt , vel Sol ad illos. vt patet in Aſtronomia.

10 Habent & ſtellæ fixæ ortum & occaſum ad Solem & ad mundum : ſi quidem ortus matutinus ad mundum verus eſt cum ſtella oritur oriente Sole ; matutinus heliacus, id eſt à Sole, quando oritur ante Solem , quia Sol recedit ab eis in orientem per motum ſubdeficientiæ. Matutinus occaſus mundanus verus eſt cum ſtellæ accidit ſub horizontem oriente Sole ſuper angulum orientis : heliacus verò eſt , quando oriente Sole ſtella eius radiis redditur inuiſibilis nobis. Veſpertinus exortus coſmicus verus eſt quando ſtella oritur ſuper horizontem , dum Sol ſub horizontem ex diametro immergitur. Heliacus autem exortus veſpertinus eſt, quando primum ſtella quæ intra ſolares radios latuerat eo occidente incipit extra radios apparere. Veſpertinus occaſus verus eſt, cum ſtella vna cum Sole ſub horizontem occidit. Heliacus verò quando ſtella, quæ poſt occaſum videbatur, incipit ſub radiis occultari ob acceſſum Solis ad ipſam.

11 Sed ortus & occaſus fixarum cum planetis eſt idem cum ſolari , vbi fixæ incidunt in eandem Zodiaci partem cum planetis .

vbi extra, agnoſcitur & aſcenſionibus regionis obliquis ipſorum planetarum & fixarum, dum concordant, ſicuti culminatio in M. C. cognoſcitur ex rectis.

12 Referuntur ad Solem & ad planetas fixæ pluribus modis. Primò quando cum eis oriuntur, aut occidunt, aut mediant cœlum, aut imant cœlum. Secundò quando paulò ante vel paulò poſt cum eis ſic ſe habent. Tertiò quando oriente Sole, vel planeta, reperitur fixa in occidente, vel in medio cœli, vel in imo cœli: præfertur vis orientalitatis, & angularitatis maioris.

13 Conſiderantur ab Aſtrologo maximè ſtellæ verticales, & horizontales. Verticalis eſt, quæ tranſit ſuper verticem regionis quotidie, & cognoſcitur ex eo, quod declinatio ſtellæ ab æquatore, & poli eleuatio ſunt æquales. horizontalis eſt, quæ horizontem radit, & cognoſcitur, ſi eius declinatio eſt æqualis complemento poli regionis. at ſi maior eſt complemento ſub horizontem ſemper latet nobis, ſi auſtralis eſt latitudo; ſi borealis ſemper apparet, vt Vrſa maior: è conuerſo eſt his, qui habitant ad Auſtrum. Complementum regionis eſt id quod deeſt eleuationi poli, vſque ad 90. gradus, qui eſt quadrans cœli.

De Planetarum inter ſe habitudine in poteſtate ex ſitu proueniente.

CAPVT IX. ARTIC. I.

1 DIcitur vnus planeta eſſe ſuper alterum eleuatus vndecim modis. Primò quando alter eſt magis in auge, ſiue excentrici, ſiue epicycli. Secundò quando eſt in latitudine, vel ſignis borealibus, & alius in auſtralibus, in noſtris climatis. ſed vltra æquatorem è conuerſo dices. Tertiò quando alter aſcendit, alter deſcendit à Borea, vel auge. Quartò quando alter eſt in imperante, alter in obediente, ſcilicet, qui orientalior à Sole. Sextò, qui propinquior medio cœli. Septimò, qui in meliori angulo. Octauò, directus ſuper retrogradum. Nonò, qui magis extra radios. Decimò, vbi prope coniunctionem ponderoſior occidentaliórue eſt quis. Vndecimò, qui in pluribus dignitatibus, vel ſtipatus amicorum lumine.

De Planetarum inter se & cum fixis configuratione & aspectu.

CAPVT X. ARTIC. I.

1 ASTrologiæ maxima pars in configurationis & aspectus consideratione versatur: ex congressibus enim & aspectibus stellarum non modo calor & lux augentur & minuuntur, & modificantur, vnde certa mutatio rerum inferiorum dignoscitur: sed etiam rerum figura, & situs, & temperies, & respectus partium in se, & ad alias mundi partes, regulam assumunt, non secus ac ferri situs, & malleatoris ad ferrum ictus,& ad mundi partes aspectus, certam figuram in ferro producit, & certi situs vim & amorem immittit, quod experimentis verissimis Gilbertus de Magnetica philosophia scribens ostendit. Arbores quoque & corpora affabrè elaborata ad certos situs certas partes pandunt.Et cadauer in mari natat ex situ quem in vulua accepit. Et bacillus ferreus super subere natans ad situm originalem se adaptat. figura autem exterior ab interiori est temperamento sic ideato,vt taliter configuretur. Hinc D. Thomas ordinem etiam rebus physicis & artificiatis à cœlo ponit. quapropter magna est de aspectibus contemplatio in Astrologia.

2 Prima stellarum configuratio est ipsarum coniunctio : quæ multipliciter celebratur. Aut enim in eadem longitudine & latitudine cœli sunt centraliter ; & hæc perfectissimi est vigoris, bona si amicorum siderum : mala si inimicorum, secundum se;at secundum nos bonum est, vt maleficæ vis à benefica temperetur. Secunda est coniunctio,secundum longitudinem in Zodiaco,non secundum latitudinem. Tertia est cum intra orbem proprij luminis sese mutuò continent. Quarta cum sunt in eodem signo. Quinta cum sunt in eadem domo, seu circulo positionis. Sunt autem coniunctiones duorum, trium, quatuor, & omnium aliquando planetarum, de quibus Hermes scripsit. coniunctio sic figuratur ☌.

3 Multiplices imò innumeros præter coniunctionẽ aspectus habent inter se planetæ in cœlo erga nos. Qui tamen efficaces sint à Ptolemæo, & priscis Mathematicis,quatuor considerantur. videlicet oppositio, cuius iste est character ☍ : quadratus cuius est □ : trigonus,qui sic signatur △ : & sextilis qui sic ⚹.

4 Hos

4 Hos propterea efficaces esse dicunt, quoniam in se multiplicati producunt alios aspectus maiores, & tandem circulum absoluunt. Sextilis enim continet 60. partes seu gradus circuli. est enim sexta circuli pars, qui 360. gradibus conficitur. sexies autem sexaginta faciunt 360. Sic quadratus continet 90. partes, qui in quatuor deductus facit 360. Trigonus continet 120. partes, qui in tria deductus facit 360. Oppositio continet medium circulum, idest 180. qui duplicatus facit 360. Insuper si sextili addas sextilem facit trigonum: si alium ✶ facit ☍. Sic ex altera parte circuli, similiter quadrato quadratus additus facit ☌. sempérque aspectus resultant ex eis. Similiter trigonus additus trigono facit 240. ex quo ad 360. trigonus est aspectus.

At prisci Mathematici octagonum etiam aspectum agnouerunt. Cum enim Luna à Sole discedit post ☌ in 45. gradu appareret, & significationem dat super mutationibus ab ista lunatione manantibus. quod Ptolemæus, Plinius, Aratus & alij experimento comprobarunt.


5 Non tamen videtur iste aspectus connumerandus, quoniam multiplicatus non producit alios aspectus, vt aiunt. Sed in circulis positionis figuræ cometarum ab Haly consideratur, & in medicinalibus : proptereáque arbitror, etsi non tantæ efficaciæ sit, non tamen prorsus inefficacem, præsertim in Lunæ configurationibus.

6 Consideratur à modernis (quorum libellus nondum ad me diu expectatus peruenit,) aspectus duodecimus qui continet 30. gradus : putatúrque efficax, quasi semisextilis, infimæque amicitiæ. Quod si ita est, nulla erunt signa in Zodiaco non sese intuentia, nisi aliqua opposita his quæ aspectu duodecimo se contuentur. E quidem in morbis peracutis, vbi dies critici breuiori spatio comprehenduntur, atque in chronicis, inuenio hunc aspectum efficacem : quemadmodum & in cæteris octagonum. Siquidem dies quartus est index septimi, in quo fit Lunæ quadratus ad suum initium, in quo cœpit morbus. Non autem indicaret, nisi virtuosa eius esset pars, vt sextilis est trigoni. Igitur quia super peracutis numeramus per tertios dies, in quibus vnius est modo signi mutatio, sicut in cæteris per quartos, in quibus est signi vnius & dimidij mutatio, palàm est, vtrumque esse efficacem, præsertim in rebus velocibus, & facilis passibilitatis : vnde in mutationibus aëris, & aquarum, non erit contemnendus vterque aspectus.

pectus. videtur autem & dimidij ſigni mutatio, ideſt vigeſima-quarta pars circuli,in peracutis efficere aſpectum validum, quod Oceanus etiam iuxta dies Lunæ creſcens & decreſcens in Britannia comprobat, & auis Indica cum diebus Lunæ colores mutans. Continua ſanè eſt mutatio in cœlo. ergo & in inferioribus: ſed in quibuſdam ſentitur magis, vt in mari ſexhoraria, & in heliotropio horaria. quapropter innumeri ſunt aſpectus : ſed nobis noti pauciſſimi. Producit duodenus aſpectus omnes alios aſpectus, dum multiplicatur. idcirco efficax videri debet.

7 Verumenimuerò animaduertendum, quod aſpectus efficacia pendet aut à numeris, vt dicunt Pythagorici,& ſic qui eorum vires rimantur,ſcient de aſpectibus philoſophari.(Ego autem fateor vires numeri in rebus numeratis nobis innoteſcere. ergo quot modis efficax eſt aſpectus, tot numeri graduum interceptorum ſunt celebrandi in hoc dogmate. Eſt autem impoſſibile omnes agnoſcere : prædicti ergo ſufficiant.) Aut verò efficacia pendet à ſignorum natura, vt dicunt plurimi Mathematicorum. Et tunc omnis ſigni oppoſiti mutatio producit aſpectum. Et quoniam præcedens ſemper eſt conſequenti in ſexu & conditione contrarium : igitur ſemiſextilis aſpectus erit quædam infima inimicitia. Tertium verò ſignum conuenit cum primo: ideo producit amicitiæ infimæ teſtimonium. Quartum tandem eſt contrarium: ergo producit aſpectum ſecundæ maioris inimicitiæ : propterea-que Luna in quarto ſigno indicat vel victoriam morbi, vel naturæ, cui prodeſt ſignum inimicum morbi principio. In quinto ſigno augetur amicitia ob trigoni vires, & conuenientiam ſignorum : & vocatur maximæ amicitiæ aſpectus. Tandem ſextum debet facere aſpectum hoſtilem. Non tamen conſideratur Aſtrologis, quoniam non producit alios aſpectus ; ſed hæc ratio non eſt ſatis phyſica.Potius dicerem eſſe radiationem ad ſextum.Sed quoniam eſt contraria, & eius contrarietas completur in ſeptimo ſigno,vbi diametri extremum, ſummáque diſtantia aduerſáque celebratur:idcirco aſpectus ſexti tacetur:vel inefficax eſt.Probatur hãc ſignorum contrarietatem eſſe cauſam aſpectuum,vti familiaritatem : quoniam ſæpe in ſexto die fit criſis optima in morbis, quando nimirum Luna aucta motu ad quartum ſignum peruenit ante ſeptimum diem : qua de re in medicinalibus tractabimus. Duodenus ergo ſic deſcribitur ☌, octagonúſque ſic ☌.

Sequitur Schema aſpectuum.



8 Aſpectus iſti in Zodiaco conſiderati ſic ſe habent. Verum quoniam ſigna tortuoſa velociter aſcendunt, & plus illorum quàm æquatoris; accidit vt quadratus aſpectus eius ſit ſextilis in æquatore. E contra verò trigonus longarum aſcenſionum in ſignis rectis fit quadratus, qui aſpectus eſt hoſtilis. verum in parte cœli, in qua aſcendunt iſta ſic ſe habent, non in M. C. aut I.C. è contra verò in parte occidentali, vbi deſcendunt, fiunt ſigna breuium aſcenſionum longarum deſcenſionum: propterea è conuersò fit vt quadratus tranſeat ibi in trigonum, & ſextilis in quadratum.

9 Diſtinguitur aſpectus in dextrum & ſiniſtrum. dexter fit contra ordinem ſignorum: ſiniſter ſecundum ordinem à ſtella vel gradu in ſtellam vel gradum.

10 Datur inſuper aſpectus partilis & platicus. Partilis fit quando tot partes interponuntur, quot ad aſpectum requiruntur, vt in □ 90. Et hic aſpectus aliquando eſt ſecundum longitudinem, & latitudinem. Sed in coniunctione requiritur vtraque eadem. In oppoſitione vero eadem longitudo, ſed non latitudo: altera enim auſtrina exiſtente debet altera eſſe borealis, vt ſit verè oppoſita. In trigonis autem requiritur contraria latitudo, ſed inæqualis: videlicet quanta eſt medietas latitudinis ſtellæ. Sextilis verò eadem debet eſſe latitudo, ſed inæqualis, quanta ſcilicet eſt medietas latitudinis ſtellæ. In quadratis nulla obſeruatur latitudo, cum ſemper incidant in ecliptica partiliter. Vbi autem incidunt aſpectus ſtellarum fixarum extra Zodiacum in ecliptica, vide tabulam Finchi.

11 Platica configuratio eſt, quando non corpore ſed lumine iunguntur;

guntur; aut inter aſpectum Planetarum non ſunt tot gradus quot aſpectus requirit eorum, ſed orbis luminis eorum eos intercipit.

12 Propterea tabellam orbium fixarum & Planetarum addere oportet.

Fixæ magnitudinis.	1	gr. 7. 30.	♄ 10. 0.	♀ 8. 0.
	2	gr. 5. 30.	♃ 12. 0.	☿ 7. 0.
	3	3. 30.	♂ 7. 30.	☽ 12. 30.
	4	1. 30.	☉ 17. 0.	

De Platicis aſpectibus, eorúmque paſſionibus.

ARTIC. II.

1 Diuiditur aſpectus platicus in applicationem & defluxum ſeu ſeparationem. Applicatio eſt Planetæ velocis ad tardum corpore vel radio acceſſus intra orbem ſuorum luminum. Defluxus verò, receſſus. Idcirco à fixis & tardis fit defluxus, & ad eaſdem applicatio, & vtraque melior, quò coniunctior.

2. Applicationes & defluxus vel ſunt inter duos Planetas, vel tres, vel plures.

3 Duorum Planetarum ſunt quatuor ſpecies applicationis & defluxus. Prima eſt ſimplex, quando vterque Planeta eſt directus, & leuior in paucioribus gradibus, tardus in pluribus. Defluxus vero cum leuior eſt in pluribus à tardo recedens.

4 Secunda ſpecies eſt, quando vterque eſt retrogradus, ſed leuior in pluribus gradibus ſigni, at ſua velocitate aſſequitur tardum. Si autem ſit in paucioribus eſt defluxus.

5 Tertia eſt mutua applicatio, cum alter directus eſt in paucioribus: alter retrogradus in pluribus, & ſibi mutuo occurſant. E contra cùm directus eſt in pluribus, & retrogradus in paucioribus, vterque defluit, & fruſtrationem indicat effectus.

6 Quarta, cum leuior retrogradus eſt in pluribus gradibus, tardus directus in paucioribus. tunc enim pro defluxu fit applicatio.

7 Eodem modo fiunt applicationes & defluxus in antiſciis & æquidiſtantiis,& multiplicantur alij ex his quam plures.

8 In aſpectibus trium Planetarum fiunt multæ ſpecies, videlicet luminis tranſlatio, redditio, collectio,prohibitio, perturbatio, abſciſſio.

9 Tranſlatio luminis fit trifariam. Primò, cum Planeta leuis inter duos tardiores ſe,corpore vel radio,diſcurrit,transfértque prioris lucem in poſteriorem,vnà cum ſua. Secundò, quando velox tardiori ſe coniungit radio,& ille tardior alteri tardiori configuratur,cui leuis non configuratur. tunc enim tardus lumen leuis tardiori adhibet. Tertiò, quando in eodem ſigno ſunt, & medius communicat vtrique ſed non extremi. tunc enim medius prioris ad poſteriorem transfert vires.

10 Hoc etiam modo fit collectio luminis, quando nimirum vnus Planeta duos reſpicit ſe mutuò non aſpicientes, eorúmque lumen dicitur colligere,vel applicando eis,vel defluendo ab eis.

11 Redditio eſt luminis, quando vnus vel duo Planetæ aſpiciunt alterum Planetam debilem, vtpote combuſtum, aut retrogradum, qui non poteſt eorum vires retinere: propterea que dicitur reſtituere, quoniam lux eius illis proficit magis quàm è contra.

12 Prohibitio luminis fit bifariam. Primò, cum Planeta tardus inter duos leuiores in eodem ſigno reperitur. tunc enim prohibet eos inuicem lumen communicare.& talis prohibitio iuuat, quando leuiorum coniunctio eſſet mala:nocet,quando bona.Secundò, quando leuior ponderoſo iungitur corpore, & alter aſpiciens in eodem gradu eſt radio cum leuiori; tunc prohibetur à leuiori copula aſpicientis radio,quoniam corpus maius eſt radio. At ſi aſpiciens eſt in pluribus ad ponderoſum gradibus,prohibebit leuioris lumen.

13 Perturbatio dicitur,quando duo Planetæ ſibi applicant,& antequam fiat applicatio,tertius Planeta ponderoſus exiſtens in pluribus gradibus coniungitur medio,ſiue hunc ille per retroceſſionem,ſiue per tarditatem aſſecutus ſit. tunc enim coniunctio priorum dicitur perturbari.

14 Abſciſſio dicitur, quando duo tardi ad coniunctionem properant, & velox tertius exiſtens in paucioribus gradibus tranſibit priorem,& antequam ille iungitur poſteriori.ſícque leuior dicitur abſcindere lumen medij à ponderoſo poſteriori.

De

De quibuſdam paſſionibus aliis applicationum & defluxuum.

ARTIC. III.

1 PAtiuntur inſuper hi defluxus, & applicationes, accidentia quædam, quæ vocantur fruſtratio, refrænatio, curſuvacuitas, feralitas, pulſatio, receptio, & obſeſſio.

2 Fruſtratio eſt, quando leuis planeta ad ponderoſi properat coniunctionem in extremo ſigni: at ponderoſus intrans in aliud ſignum coniungitur radio alterius aſpicientis: ac proinde leuis non prius ponderoſo, quàm alterius radiis, applicat, propterea-que dicitur talis coniunctio fruſtrari.

3 Refrænatio eſt, quando leuis petens alterius coniunctionem fit retrogradus antequam coniungatur.

4 Vacuus curſu dicitur planeta, dum defluens ab altero nulli iungitur corpore vel radio intra fines orbis proprij luminis.

5 Feralis dicitur, quando ſolus eſt in vno ſigno, nec alicuius radiatione fouetur.

6 Pulſatio duplex. Vna, quando planeta exiſtens in alterius dignitate ipſum aſpicit. tunc enim illi ſuam dignitatem reſtituit, vel mittit. Altera, quando leuis in propria exiſtens dignitate aſpicit ponderoſum non habentem dignitatem in loco leuis. tunc ſiquidem leuis propriam illi tradit.

7 Receptio eſt cum vterque fuerit alter in alterius dignitate, vt ♃ in ♒ & ♄ in ♓. vel cum planeta in ſua exiſtens dignitate aſpicit alium, qui ibidem etiam habet dignitatem. communicat enim ſuam & illius illi dignitatem.

8 Obſeſſus eſt planeta, cum à duobus corpore vel radio circundatur, qui ſi à duobus maleficis, maximè affligitur: ſi à beneficis, iuuatur. maleficáque vim malefaciendi amittit, ſed cum beneficarum detrimento. quod expertus ſum non ſemel.

De fixarum natura, & dominio, & actione ſuper inferiora, per ſe, & cum planetis.

CAPVT XI. ARTIC. I.

1 CVm fixæ ſtellæ maximè diſtent à tellure vires earum planetis primo communicantur, & per ipſos noſtris rebus. At ſecundum quod concordant vel diſcordant cum ipſis, eorum vires augent minuúntque.

2 Sicuti planetæ in parte boreali ſecundum latitudinem & declinationem plus poſſunt, quam in auſtrali citra æquatorem, ſic & fixæ: at è conuerſo vltra æquatorem.

3 Potentiſſimæ ſunt ad mores regiones iudicandos, & afficiendum inferiora fixæ verticales in primo loco: ſecundò horizontales, quoniã ſemper angulares ſunt, de quibus diximus paulò ante: tertiò quæ ſunt intra Zodiacum, ſed magis quæ in ecliptica: quoniam locus planetarum agentium & deferentium virtutes, ſuperior eſt Zodiacus, & Sol inde ſuas effundit vires, quibus omnia mutat: itaque congruit locus ille actioni, & figurationi, poſſuntque copulari planetis, & viribus augeri: propterea que Luna eſt potentiſſima omnium ſuper noſtra entia, quoniam citima eſt, omniumque virtutes colligit, demittítque: ſuaque velocitate priuſquam ab vno ſeparatur alteri applicat, omnéſque aſpectus cum omnibus ocyſſimè abſoluit.

4 Dominãtur rebus cunctis fixæ, quibus planetæ illis perſimiles.

5 Similitudo fixarum cum planetis dignoſcitur primum à colore. Nam claræ ſplendidæque ſunt de Iouis natura: quæ verò cum multo ſplendore quendam exilem ruborem habent, Soli appropriantur: quæ ſplendidiſſimæ & buxeæ Veneri: quæ plumbeæ ſunt Saturno, vt Algol: rubræ vt Aldebaram Marti: cinereæ micantes variæque Mercurio: candidæ pallentes & hebetis luminis ſunt lunares. Nubiloſæ maculoſæ, præſertim ſubrubræ, vt Arcturus, Lunæ & Marti adſcribuntur. totáque Galaxia videtur lunaris. At tenebroſæ lunares ſaturninæque exiſtunt.

6 Stellæ primæ magnitudinis efficaciſſimæ ſunt: cæteræ verò ſecundùm magnitudinem, & ſitum, vt dictum eſt.

7 Quæ clariſſimum habent lumen illuſtres dant effectus: quæ plurimum micant magnas conturbationes: quæ denſum, efficaces ſunt: quæ rarum debiliores: quæ obſcuræ & nebuloſæ malos effectus obſcuros & infelices edunt.

8 Cum planetis autem coagunt quando ſunt in eodem circulo poſitionis, aut in aliquo angulo, dum illi aſcendunt, aut culminant, aut mediant, aut imant cœlum, vel in ortu, aut occaſu aliquo ex quatuor.

9 Regionibus dominantur, quibus præeſt planeta conſimilis, aut triangulus, in quo ipſæ figurantur, aut ſunt verticales, aut horizontales. quæ enim non aſpiciunt, nec itidem operantur, vt dicemus de eclipſibus.

ASTROLOGICORVM
LIBER SECVNDVS.

De magnis rerum humanarum mutationibus, initiis, & cauſis.

Quibus ex cauſis principiis & ſignis cœlitus ſit prognoſticandum: & quæ materiæ relinquuntur Aſtrologo tractandæ in ſequentibus libris.

CAPVT I. ARTIC. I.

1 POSTQVAM de principiis & cauſis cœleſtibus inferiorum mutationum, vt potuimus, pertractauimus, nunc iudicia futurorum effectuum ex eiſdem cauſis & principiis elicere phyſicè docebimus.

2 Sunt quidem cauſæ ipſæ ſtellæ, nedum ſigna, vt optimè probat S. Thomas, corporearum mutationum per ſe, voluntariarum per accidens: principia verò ſunt coniunctiones ſiderum, & aſpectus, & variatio ſitus, tranſitus de ſigno in ſignum & in cardinalia puncta, & circulorum ſectiones. ex his ergo iudicia feremus.

3 Effectus generalis à cœlo nullus poteſt in toto mundo inferiori ſimul vnus & idem accidere, niſi totum cælum ſimul & vbique ſuarum partium agat idem. Vnde neque Sol, qui eſt cauſa vniuerſaliſſima, lucet vbique telluris, neque annum facit vbique ſimul, ſed hic ver, ibi autumnum, alibi æſtum, alibi hyemem eodem tempore producit. Quapropter quæ cauſæ, quibus regionibus, & in quibus initiis influant contemplari oportet: mox quibus in luminibus, & rebus ſpecialiter.

4 Quapropter omne iudicium astrologicum, aut est de mutationibus aëris & maris & telluris: vnde de penuria & abundantia rerum nobis vtilium & noxiarum ratiocinamur: aut de monarchiarum, & rerumpublicarum initiis & mutationibus, & de gentium & legum & morum translationibus, & ciuitatum & prouinciarum: aut de cuiusq; hominis ortu, vita & morte & euentibus: aut tandem de bonis malisque electionibus rerum agendarum. Neque enim nauigationem eligimus in hyeme, vtiturque libertas humana stellis, non seruit in hoc iudicio, vt imperiti putant, inquit Albertus magnus, Theologorum haud postremus. Igitur libros adhuc scribere de his quatuor oportet: omissis nugis Arabum, & Iudæorum Astrologorum, qui ex non causis, neque signis, iudicia eliciunt, variisque erroribus implicantur.

5 Oportet autem ante omnia de mutationibus aëris tanquam certissimis, vnde ad incertas procedemus, dicere. Sed quoniam aliter in aliis regionibus immutatur, priùs de regionum conditionibus & moribus ex cœlo dicendum videtur.

Dissertatio de dominiis planetarum iuxta opinionem nostram, & Arabum per climata, & Ptolemæi per triangulos super omnes regiones mundi: & de Arabum errore, & Ptolemæi insuper insufficientia.

CAPVT II. ARTIC. II.

1 QVamuis S. Cyrillus in libris contra Iulianum, & S. Clemens Romanus mores gentium legibus potiùs quàm sideribus adscribant, immò negent sideribus esse tribuendos: tamen S. Thomas Patrum explanator laudat Ptolemæum in libro de regimine Principium, quod distinxerit mores regionum à cœlo: quoniam ab ipso calor & frigus & humores & temperamenta efficiuntur & afficiuntur, ita vt disponant sensitiuam animam ad certos mores: laudátque Macrobium, quod vocarit Iudæos Saturninos: propterea áque abhorrentes à moribus gentium cæterarum. Patres autem illi principaliter considerabant: D. Thomas dispositiuè & instrumentaliter, vt dictum est: quapropter & nos sic considerabimus.

3 Distinguuntur nationes à Ptolemæo in Aquilonares, Australes, & Medios in nostro hemicyclo. idem debet fieri in al-

tero

tero vltra æquatorem. Aquilonares præualent viribus & ferocia, quoniam frigus calorem exire non satis permittit. Australes, quibus multus ineſt calor, & ſpiritus tenuis, ſed fuliginoſus, præualent aſtutia, corpore ſunt imbecilles, ſeruituti idonei, & libidini. Medij verò ingenio & corpore pollent, & reipublicæ apti ſunt, libertatíſque tenaces, vt Boreales licentiæ, Auſtrales ſeruitutis.

3 Hos autem dicimus Boreales, qui vltra circulum arcticum habitant, & Auſtrales, qui paulo citra, paulóque vltra tropicos degunt, ſaturninos eſſe moribus, viribúſque. Sicuti enim qui plagam incolunt æquinoctialem, habent extrema ſigna tropica Saturno dicata, quoniam illis ſunt extrema: ſic qui media climata tenent, extrema dabunt Saturno remotiſſimo Planetarum: ſed diuerſas ob qualitates: illi enim ob nimium frigus, iſti ob nimiam ſiccitatem. Vnde extra temperiem poſiti ſunt monſtruoſi, & quaſi ab hominis natura deſciſcentes. Pigmæi in Borea ingenio rudes, victu & veſtitu infælices, ſubnigri, quoniam calor à frigore nimio extinguitur: vnde in hyeme etiam nobis manus nigreſcunt. Poſt vbi enim tranſieris flauos Germanos, & Polonos, ad ſubrubros venies Noruegios: deinde ad ſubuirides homines: tandémque ad ſubnigros & paruos. Sic qui ſub tropicis habitant nigri ſunt alia ratione, quia videlicet color albus à Sole extrahitur. Sunt ingenio ſtolidi non propter ſorditiem excrementitiam non purgatam, vt Arctoi, ſed propter fuligines tetras, & ſpiritus exiles. Sylueſtres omnes ſunt, ita vt ſatyri aliqui eſſe teſte S. Hieron. ibi dicantur, & acephali, ſi credas Plinio. Sunt & alij qui vix eſſe homines creduntur noſtri generis. Has deformitates ſaturninæ intemperiei dant Aſtrologi.


4 In medio æquatoris Iupiter dominatur, quamuis S. Thomas credens Ariſtoteli inhabitabilem putarit plagam illam: tamen cum Auicenna, & Alberto, & Plinio, teſtante experientia nauigationum, hominibus plenam regionem optimis temperie & moribus & longæuæ ætatis ſcimus ob æqualitatem frigoris & æſtus. idcirco Ioui aſſignamus mediam regionem. Sic etiam medium intra tropicum & circulum arcticum diuidentes, quod continet ferè gradus 43. diuidimus ita, vt pars meridiana Veneri, quæ eſt ab tropico ad gradus 15. media verò vſque ad alios 15. detur Ioui: extrema vſque ad alios tredecim, qui remanent, Marti. Ergo à 23. ab æquatore vſque ad gradus 38. regnat Venus: à 38. vſque ad 53.

Iupiter : à 53. vsque ad 68. Mars: à 68. vsque ad 90. Saturnus : Sol autem & Luna sunt causæ generales. Mercurius verò nullam habet propriam regionem, sed omnibus admiscetur, linguas & mores habens. Estque in medio regionum rationabiliter etiam à Ptolemæo signatus. Hanc partitionem esse veram mores regionum testantur. Arabes enim, Mauríque, Ægyptij, & Sinenses venerei sunt moribus: Itali, Hispani, Græci Iouem referunt: Germani, Angli, Galli, Martem: extremi sunt saturnini. Mensi sunt Arabes, præcipuè Haly Abenragel, climata, planetísque septem assignarunt, sed perperam. ordinem enim respexerunt non mores, & consensus regionum cum sideribus: cum neque sit sub æquatore ♄: neque in tropicis ♃: neque in tertio climate ♂: neque in quarto ☀: neque ♀ in quinto: neque ☿ in sexto: neque in septimo, ☽; cum sint expertes artium boreales: & Mauri à Iouis politia longè abhorreant. Nec tertij climatis, sed boreales, sunt bellicosi populi. & sic de cæteris palam est. Damus enim ibi dominium Ioui, vbi eius temperies & mores deprehenduntur. Sol enim ita calefacit illud clima, vt influxibus Iouis sit idoneus, sicuti extrema prauè afficit, vt saturninis conueniat. sic dicebamus de domibus.

5 Ptolemæus autem artificiosè ex natura triangulorum contexit dominia Planetarum, sed non sufficienter: neque enim curauit eos, qui sub æquatore, neque qui in altero hemisphærio, neque qui vltra æquatorem. Nec eam secutus est rationem, quam nos, qui per partes, & climata distribuentes, prouidimus etiam Americanis iuxta ordinem graduum distribuentes dominia Planetarum. vbi manifestè Mexicani sunt sub Ioue, Cuccani sub Venere, Cicimeci sub Marte: borealissimi autem vltra Floridam Hispaniam & nouam Franciam ad Arctum sunt saturnini. sic è contra ratiocinaberis vltra æquatorem: vbi habitantes terram de Lucac sunt saturnini sub Antarctico, quemadmodum & qui sub tropico ♑. Intermedij verò partiuntur, sicut apud nos. At Ptolemæi rationem explicemus.

6 Ex tota terra sibi cognita, quæ continebat Europam, Asiam, & Africam, quatuor format quadrangulos, quasi tellus esset quadrangula. Dat Orienti Saturnum, Occidenti Martem, Meridiei Venerem, Septentrioni Iouem. Solem enim & Lunam & Mercurium, tanquam communes Planetas, omittit. Tum in singulis quadratis ponit singulos triangulos. Primum, qui est Iouis & Martis

tis, continens signa tria Zodiaci, videl. ♈ ♌ ♐, dat Europæ. Secundum, qui est Veneris & Saturni (non enim Sol & Luna, & Mercurius sic numerantur) & continet ♉ ♍ ♑, dat Asiæ meridionali in suo quadrangulo. Tertium, qui est Saturni & Iouis, continens ♊ ♎ ♒, dat Asiæ boreali, vbi Scythia & Arsaret & Cataium. Quartum, qui Martis & Veneris, dat Africæ, & continet ♋ ♏ ♓. ventósque proprios illis assignat, vt suprà scribebamus. Mox partitur singulos quadrangulos, & duplicat triangulos in orientales & occidentales: ita vt triangulus Europæ sit in Asia meridiana, orientalis cum ♃ & ♂ orientalibus, in Europa occidentalibus. Similiter triangulum Asiæ meridianæ in orientalem partitur, qui ibi prævalet, & occidentalem, qui in Europa. Idem facit permutando de triangulo tertio & quarto. Mercuriúmque locat in medio terræ, vbi linguæ pollent, & omnes legislatores. Siquidem in Palæstina, & Arabia, & Syria incœperunt leges Moysi, & Christi, & Apostolorum, & Macometi, & scientiæ plurimæ. vt ex sequenti schemate declaratur.



7 Vbi sanè mirum, quomodo Saturno detur oriens frigido siccóque; occidénsque Marti calido siccóque, cum venti orientales

calidi sint, humidíque; occidentales, puriores, frigidi, & ex parte sicci. Item quomodo Boreas frigidus siccúsque Ioui; Auster autem solus Veneri congruit? Potest tamen satisfieri quod & ♂ & ♃ orientales cient ventos orientales: similiter ♂ & ♀ orientales: vnde in hoc schemate omnis ventus omni Planetæ potest tribui. At neque Septentrio Ioui congruit in quantum frigidus siccúsque, sed in quantum purus & saluber. Neque ista descriptio vltra 70. gradus latitudinis valet, quoniam exinde syluestres sunt homines, Iouis ciuilitati nil congruentes. patet, Ptolemæum curtum esse in assignandis iudiciis. Neque Venus aliquid habet sub tropicis, vbi mores Saturni vigent, ventíque exiles, vel nulli. Nam qui crassi madidíque ad nos feruntur, ex mari mediterraneo accipiunt qualitates. Sub tropicis autem absque auris squalent omnia, hominésque sub antris habitant: breuioris sunt vitæ ex ♄ intemperie: manducántque locustas, cibósque nefandos.

Igitur rectius & sufficientius philosophati sumus, quàm Ptolemęus. Martem autem vigere in regione Gotthorum, & Scytharum vetus est fama Poëtis celebrata: vt Iupiter parum habeat, nisi salubritatem ventorum, quæ est in media regione, sicuti declaratum est.

8 Triangulorum commutationem doctè connectit, vtinam & verè. Eam nos transferimus in Americam: locamúsque inter gradum 27. & 70. latitudinis, ita vt primus quadrangulus sit in Quirira: secundus in insula Hispaniola: tertius in Hispania Florida: quartus in Peruana regione, & insulis adiacentibus. Sed cum alij ibi sint venti ob alium maris situm non determino, sed delineo tantum. Idem potest fieri altero in hemicyclo vltra æquatorem in vtroque hemisphærio. Sed quoniam plus ibi maris, quàm telluris, & ventorum ratio alia, eius incolis negotium committo Ptolemaicum: meum enim vtrobique satisfacit & facilè.

De moribus gentium ex Ptolemæo per triangulorum dominos.

ARTIC. II.

1 HI qui subdunrur tertio trigono Ptolemaico subiacent Saturno, & Ioui orientalibus: proptereáque sunt natura (inclinante non cogente) religiosi, ditissimi, mundi, honesti, sapientes

pientes, magi, periti diuinorum, liberales, iusti, improbitatis osores, pro pietate & probitate vsque ad mortem certantes, benigni, pudici, sumptuosi in vestitu, magnificíque. hæc ille. At quoniam Scythæ eiusmodi non sunt, cum barbaricè viuant, palam est triangulum Ptolemæi ad eos non pertinere, sed potius ad Catainos,& Sinenses, & Bactrianos, nec satis.

2 Mars cum Ioue occidentalis gubernat subditos primo triangulo, cui Hispani & Germani & Itali subsunt: faciúntque homines libertatis amatores, armorum studiosos, laborum patientes, fortitudinis, præstantiæ, munditiæ, amicitiæ, fidei, & rei familiaris custodes, diligentes, beneficos, virtuti deditos, mulierum parùm amatores, sed puerorum, & pathicos, non tamen molles, vt pathici Asiani, sed strenuos. hæc ex Ptolemæo. Sed cum in Germania & Anglia puerorum amor ferè nihil vigeat, non valet decretum Ptolemæi, nisi pro his, qui infra 46. gradus habitant.

3 Saturnus & Venus orientales gubernant subditos tertio triangulo, faciúntque diuinos, saltatores, comptos, delicatos, mulieroſos, & cum consanguineis & matribus coeuntes, vt Persæ, Babylonij & Arabes: item ornatos molliter, eunuchos natura,casu, sponte; animo celsos, & consilio fortes, bellicosos, masculinam venerem abhorrentes. hæc ille. Tamen hoc vltimum falsum est. Arabes enim plurimum sodomiæ dediti, Persæ minimè.

4 Mars & Venus occidentales gubernant subditos quarto triangulo:faciúntque procliues in mulieres,raptores virginum,violentos, adulteros, muliebri habitu gaudentes, improbos, præstigiatores, peruersos, temerarios, manu promptos, malos omninò sed fortes. Hæc vera sunt de Mauris, Feritis, & Marochitis, cæterisque populis Africanis, hoc tempore, vt nihil magis: non tamen sub tropicis.

5 Mars & Venus orientales in secundo triangulo tertij quadranguli faciunt improbos, laborioſos, latrones, rapaces, milites, mercenarios, seruiles animo, & malos, præsertim cum Mercurio.

6 Posthæc Ptolemæus non amplius prosequitur triangulos secundos aliorum quadrangulorum, hoc est interiores, sed miscet iudicia. Sic Iupiter & Venus orientales faciunt homines delicatos, mundos, floridos, vestibus pompoſos, in re paranda attentos, mercatores, faciles in contractibus, liberales, consilio pollentes.

7 Saturnus orientalis deformes, fœdos, inanes, vt sunt Indi occidentales, carniuoros, icthyophagos, pastores agrestes, moribus

bus feros, vt Æthyopes occidentales. In quo decreto consensit nobiscum, quod sub tropicis degentes sunt saturnini.

8 Mercurius orientalis, cum sit de trigono & ipse tertio, mathematicos, Astronomos, acutos; occidentalis ingeniosos, doctos, non adeò mathematicos, cultores animorum, mobiles, subimprobos.

9 Mars occidentalis, feroces, peruicaces, vt Germani; orientalis, audaces, impios, insidiosos, malè dispositos, immanes, bellicosos, carniuoros, seditiosos, vitæ contemptores, periculis vltrò sese offerentes.

10 Venus occidentalis, voluptuosos, mundos, vt Cyprij; orientalis musicos, delitiosos, mobiles.

11 Saturnus & Mercurius occidentales, vt in interiori triangulo quarti quadranguli, faciunt rei parandæ aptos, sedulósque, à consuetudine humana, & mulieribus alienos, vt Macedones.

12 Saturnus, Venus, Mercuriúsque occidentales, animo compositos, temperatos, fortes, libertatis amatores, regni osores, musicæ studiosos, & eruditionis, certaminis, munditiei, amicitiæ, hospitalitatis, eloquentiæ, arcanorum & sacrorum.

13 Iupiter occidentalis, libertatis amatores, simplicitatis & munditiei; orientalis, liberales, dexteros, commerciis aptos, mercatorésque.

14 Iupiter, Mars, Mercuriúsque orientales, astutissimos, mercatorésque, audaces, insidiosos, laboriosos, seruiles, animo instabiles.

15 Saturnus, Iupiter, Mercuriúsque occidentales, superstitiosos, sepelientes mortuos ceremoniosè, timentes Deum, multarum hæresum suscitatores & rituum, imperantes animosè & magnificè, obedientes patienter, meticulosè, & humillimè: facundósque, vt Hispani.

16 Sol facit præstantes, benignos, amicitiæ cultores, vt Itali, humanos, simplices, siderum obseruatores.

17 Luna orientalis fœminas facit viriles, imperiosas, contentiosas, laboriosas, vt Amazones Asiaticæ olim, & nunc Africanæ; occidentalis, viros molles, effœminatos, imperio mulierum subditos, aptos mercaturæ, & commerciis, vt in Gallia, & Neapoli.

De

De moribus gentium ex ſignorum dominantium natura.

ARTIC. III.

FAcit ♈ feroces, peruicaces, truces, audaces, improbos, inſidioſos, vt Angli.

♉ voluptatibus deditos, munditiæ victus veſtitúſque, & delitiis, vt Neapolitani.

♊ mobiles ſubimprobos, cogitantes, prudentes, intelligentes rerum omnium ſapientiæ diuinalis, magos, arcanorum inſtitutores, mathematicos, vt Ægypti olim.

♋ mercatores, bonos ſocios, rerum affluentia gaudentes, mulieroſos, vt Carthaginenſes olim: fœminas verò imperioſas, contentioſas, laborioſas.

♌ conſtantes, benignos, amicitiæ ſtudioſos, ſimplices, humanos, ſiderum cultores.

♍ mathematicos optimos, aſtronomos, diſciplinis aptos, ingenioſos, doctos, animorum cultores.

♎ muſicæ delitiis deditos, diuitiarum congeſtores, calidos ad coitum, mobiles conſilio.

♏ immanes, bellicoſos, carniuoros, improbos, vitæ contemptores, periculis deditos, fallaces, furioſos.

♐ ſimplices, munditiæ & libertatis amatores, liberales, dexteros, negotiis aptos, contractibúſque.

♑ deformes, fœdos, immanes, immites, alienos à conuerſatione, ſedulos in re paranda.

♒ carniuoros, icthyophagos, paſtores, immanes, tetricos, agreſtem vitam ducentes.

♓ liberales, mercatores, attentos, faciles, ſimplices moribus, mundos, popularis ſtatus amicos, conſilio validos, pulchrorum operum artifices.

Quod ſignum cui prouinciæ dominetur ſecundum Ptolemaïcos triangulos interiores, exterioréſque.

ARTIC. IV.

SVbeſt Britannia ♈, Gallia braccata, Germania, Baſterna, ex △ exteriori][Cæleſyria, Palæſtina, Idumæa, Iudæa.

♉ Parthia,

♉ Parthia, Media, Perſia][Cyclades, Cyprus maritima Aſiæ minoris.
♊ Hyrcania, Armenia, Mactione,][Cyrene, Marmarica, Ægyptus inferior.
♋ Numidia, Carthaginenſes, Afri][Bithynia, Phrygia, Pamphilia.
♌ Italia, Gallia togata, Sicilia, Apulia][Phænices, Chaldæa, Ochinia.
♍ Meſopotamia, Babylonia Aſſyria][Græcia, Achaia, Creta.
♎ Battia, Caſperia, Seres][Thebaïda, Oaxis, Troglodytæ.
♏ Metagonitida, Mauri, Getuli][Syria, Comagine, Cappadocia.
♐ Tyrrheni, Celtæ, Hiſpani][Arabia fœlix.
♑ India, Arriane, Gedroſia][Thracia, Macedonia, Illyricum.
♒ Sauromatæ, Oxiana, Logdiana][Arabia, Azania, Æthyopia, Media.
♓ Phazaia, Naſamones, Garamantes][Lydia, Cilicia & Pamphylia.

Examen dominiorum præfatorum.

ARTIC. V.

1 HÆc habemus ex Ptolemæo de dominiis planetarum & ſignorum ſuper nationes, ſecundum triangulos exteriores interioréſque, decreta. At cum noſtris temporibus iſta minimè congruant, immò maximè diſſideant, oportet Ptolemæum erraſſe, aut minus aduertiſſe, quod doctrina ſua perennis non eſſet.

2 Erat quidem tempore eius Græcia doctiſſima, & eloquentiſſima, vt ipſe docet ex interiori triangulo ſecundi trigoni, quoniam ♍ & ☿ illi præerant. Nunc autem tanta eſt obruta barbarie paulatim, vt ſub dominio tandem Turcarum ſepulta videatur tenebris ignorantiæ, inertiæ, ignauiæ, timiditatis, nugacitatis, vt nihil peius. Ægyptus ex ſigno ♊ ſapientia viribus & politia olim abundauit, nunc autem tyrannide oppreſſa, omnibus caret virtutibus, vixque vafricies quædam & ſuperſtitio anilis remanet, quaſi veſtigium ſapientiæ priſcę. Hiſpania longiſſimis temporibus ſerua captiuaq; Tyriorum, Carthaginenſium, Romanorum, Vandalorum, Gotthorum,

Gotthorum, Arabúmque ignorantia & ignauia oppreſſa, iam nunc libertatis compos, dominium ſuum in exteras gentes amplificauit: ita vt totum ſuo dominatu cingat orbem, eloquentia & diuitiis potens, & inuentionibus ſcientiarum nondum apta, ſed antiquis inhærens, ſéque glorificans, vt ex ſerua facta domina nondum dominatu vti rectè ſciens, ſed tumens.

3 Arabes molles, miſeríque, palantes olim, nunc lege Macometi exaltati, magnam orbis partem peruaſerunt, linguam ſuam atque ſectam amplificando & dominatum. Romani religione illuſtrati ſunt: imperio tamen ſuper orbem tranſlato paſſim, perditóque, Reſpublicæ nouæ erectæ ſunt in Italia, vt Veneta, Genuenſis, Lucenſis. Veteres corruerunt. Calabria mea, olim Magna Græcia, ſuper totum orbem effudit ſcientias pythagoricas, mathemata, & ſtellarum & conſtructionis mundi notitiam, quæ obliterata, reſurgit nunc in Pruſſia ſub Copernico, & in Tuſcia ſub Galilæo. Reſpublicæ Crotonienſium, & Sybaritarum, & Locrenſium tam mirificæ, & florentiſſimæ, nunc iacent ſeruiuntque miſerè.

4 Quid dicam de Germanis incultis ſub Cæſare viuentibus ex rapina & venatu abſque ciuitatibus, & artibus, & ſcientiis, vt teſtatur ſcribens de bello Gallico, núnc verò tam excultis, vt nouas artes & politias inuenerint, & antiquas excoluerint? Peruicacia illa, & truculentia, quam Ptolemæus eiſdem adſcribit, Anglíſque, iam mitigata eſt expurgatis ingeniis, ſolóque fœcundata: ita vt fruges ferat olim infrugifera. Imperiorum tandem & religionis tranſlatio mutat mores & vires. Iudæi autem etiam mordicus religionem retinentes, tanquam viliſſima mancipia vbique habentur. Propterea igitur hæc falſa eſt ſideralis ſcientia, omnéſque mutationes legibus & arbitrio humano tribuendæ, vel diuinæ prouidentiæ, vt docent legiſlatores, & SS. Clemens & Cyrillus. Patet hoc tempore in America anthropophagiam, idololatriam, & ſodomiam viguiſſe: at ex Hiſpanorum ingreſſu paſſim regiones ad pietatem & virtutem conuerti.

Quamuis Deus inferiora mutet; non tamen sine secundis causis. Et quod Ptolemaici de imperiorum & sectarum mutationibus ex trigonis dixerunt, insufficiens esse.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 CVm Deus inferiora regat naturali cursu, qui lex Dei verbi est, paucáque miracula supra cursum naturalem, temporibus suis ostendenda, reseruarit sibi, secundùm autem naturam agat Deus vnà cum secundis causis: inde S. Thomas reprobat opinionem Macometistarum asserentium non lucere Solem, sed Deum in Sole. Sic enim formarum actio auferretur. Propterea mutationes rerum humanarum, etsi sint à Deo, non sine causis naturalibus fieri censendum est: quamuis Cyrillus & alij Theologi Deo principaliter omnes adscribant, & verius, & magis. Ergo nec sine stellarum actionibus res nostræ mutantur: neque, illis non mutatis, istæ mutentur.

2 Quapropter mancus est Ptolemæus in sua doctrina cum solis eclipsibus mutationes det, & initia rerum. cum enim istæ sint paruæ durationis, non nisi super res parui temporis indicationem habent. similiter & cometæ. Regnorum autem translationes, & durationes ab his fieri quomodo possunt, vel leges, sectæque tantis duraturæ annis? Præterea quomodo mores & leges transferuntur, si trigoni durent? si autem non durent, cur Ptolemæus tacuit, neque ex præteritis mutationibus de futuris quicquam dixit? Profectò illi notum erat Iudæorum regnum & legem florentissima olim fuisse, suo autẽ tempore dissipata, & monarchiam de Perside in Macedonas translatam. Hoc autem eclipsibus, quæ vix super 30. menses habent decretum, non poterat adscribi: cum præsertim aliæ continuo succedant noua ferentes decreta, & contraria, sicut dies diei. Oportet ergo causas potiores accipere, quod Albumasar cognouit, sed non perfecit. Sicut enim decretũ vnius lunationis non indicat super totum annum, sed cardinationes Solis, & eclipses, quæ sunt rariores: sic neque eclipsis indicat super monarchiarum translationem, & durationem, sed tantum super particularum, & partiales earum mutationes. Trigonósque

videmus

videmus mutari:ita vt ſidera Arietis in Tauro ſint, Tauri in Geminis,& ſic ſucceſſiuè in cæteris. Ergo in hoc inſudandum erat,vt aſtrologicum negotium pernoteſceret.

3 Haly & Cardanus ad triplicitatum mutationes recurrunt,non declarantes,quomodo in terra mutatio ſit ex illorum mutatione, ſed quomodo ſuccedentes coniunctiones magnæ Iouis & Saturni in quatuor triplicitatibus,varias inducunt ſectas,& artes,& imperia,& mores : quod par eſt, niſi & triplicitatum in inuicem etiam commutationes agnoſcas, ſemper enim ſuper eaſdem regiones verterentur decreta.

4 Dicunt ergo,quod dum fiunt magnæ coniunctiones in primo trigono,quæ durant annis 199 & ſingulis 20.fiunt annis,naſcuntur in orbe inferiori imperia ,monarchiæ tranquillitas,pax, ex Solis & Iouis dominio : item ſapientes inſignis, ſterilitates magnæ ob triangulum igneum. Sic incœpit Romanorum monarchia ſub Iulio Cæſare in △ primo,& Ieſu Dei lex,& Apoſtolorum prophetia,& prædicatio,& vitiorum purgatio, idololatriæ deſtructio, & iuſtitiæ pietatíſque exaltatio, & monarchia ſacerdotalis in terra: & per 200. annos, donec in primo △ factæ ſunt, præualuit monarchia , & lex ſancta , pro qua innumeri mortui ſunt ſignificante Marte domino Arietis. ante enim Chriſti natiuitatem annis ſex facta eſt in Ariete coniunctio magna. Poſt 800. verò annos ſurrexit noua monarchia Caroli Magni in Occidente priori conſimilis : vnde putat Cardanus poſt annum 1583. cùm cœperint coniunctiones ad △ primum redire, futuram nouam potentiſſimam totius mundi monarchiam , vt omnia regantur nutu vnius. Sol enim id facit omnium Planetarum Rex. At in ſecundo trigono terreo aiunt fieri terræmotus , inundationes,cometas, & labaſcere monarchiam trigoni ignei : ac diſſolui ea , quæ facta ſunt ſub aqueo. Sic tempore Conſtantini idololatria eſt deſtructa. Peregrinationes Epiſcoporum Luna attulit ob noua Concilia, & ſectas in religione. Cœpítque imperium in Comites partiri,& Gotthi,Heruli , Vandali , & Hunni mutare ſedem. Viget in his luxuria,& varietas,& omnia venerea, qualia in Babylone ſub hoc trigono olim. Similiter poſt 200.annos à Carolo Magno Gallorum vires minui, & Saracenorum ſecta frangi , & aliæ præfatæ nouitates fieri cœperunt. Sub tertio △, qui eſt ♄ & ☿,diſſoluuntur monarchiæ primò factæ,& transferuntur in alias regiones , & Reſpublicæ conduntur , ſapientes multiplicantur , artes inualeſcunt,

erunt multi deceptores,& hæreſes,& libidines nefandæ, & cometæ in cælo ob Mercurium. Profecto ſic euenit:poſt 400. annos à Chriſto viguerunt Doctores maximi, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus,& Philoſophi innumeri:& hæreſes Pelagij,Arrij Sabellij & aliorum incœperunt,aut ſuſcitatę ſunt. Et imperium in multos Reges diuiſum eſt, ſicut & Macedonicum poſt Alexandrum Magnum, quod cœpit etiam ſub eodem △. Idem accidit 400. annis poſt Carolum Magnum , quando & religiones S. S. Franciſci & Dominici,eloquentia inculta,& litteris,prædicare cœperunt,mendicantes cum decreto Saturni,& prædicantes ex Mercurio. Tunc & hæreſes fuere,& ſchiſmata magna,quemadmodum in Aſia olim perempto M. Alexandro. Sub quarto trigono, qui primum reſpicit hoſtili radio , monarchia prima frangitur , incipiunt hæreſes diræ,armíſque protectæ,ob Martem & Lunam:fiunt inuentiones mæchanicæ in aqua multæ, & morbi maligni venereíque. Quemadmodum poſt 600.à Chriſto annos , ideſt in annis 621.cœpit ſecta Macometi,teſtantibus Haly & cæteris Macometanis Aſtrologis , poſt coniunctionem magnam in Scorpione, & ſurrexit ſecta venenoſa quę tanquam lues totum peruaſit orbem, dante Marte & Luna peregrinationes, ac Venere mores luxurioſos,plures vxores & concubinas , & ſodomias.ſicut in Turcarum & Seriforum regnis palàm eſt. Subitóque cœpit hæc ſecta labaſcere ſequente trigono primo , inimicóque. Et imperium Romanum ſurrexit in Carolo Magno,qui diu non præualuit , quoniam anomalia illi non fauebat,vti in Macometanis. At poſt 600. annos reuerſis coniunctionibus ad quartum △ cœpit Turcarum imperium,& Seriforum & Soſiorum Perſarum in lege Macometi : & creuit ſecta,& vires. Quo etiam tempore Ioannes VViclefus, & Lutherus,& Caluinus inſurrexerunt contra virginitatẽ & dogmata pia primi trigoni, contra monarchiam Petri,& religiones, diſciplinas,& ſacramenta,& arbitrij libertatem , cum Macometo potius conuenientes. Mars enim & Luna præcipitant conſilium : ita vt non eſſe in nobis libertas videatur. Eodémque tempore peregrinatur Euangelium in nouum orbem. Inuenitur in aqua vſus magnetis & bombardarum ex ♂: & nouus orbis detegitur, & fides plus armis,quàm miraculis,ampliatur.Surgunt nouæ Religiones , priſcam auſteritatem mollientes , ad bonum tamen vſum. quoniam ſiderum eſt inclinare,libertatis eſt vti inclinatione,vt in principio dicebamus,bene vel malè.

5 Hæc habemus à Ptolemaïcis, ad regulas tamen S. Thomæ redigenda. vt videlicet sint rerum diuinarum signa ipsa sidera, & trianguli: naturalium verò causæ reales, licèt generales, sed per se physicæque: arbitrariarum autem partim signa, partim causæ dispositiuæ, & per accidens, vt in principio dictum est. Præterea nec ex his innotescit, cur sedes imperiorum mutantur, nisi & siderum translationes in alia signa, & triangulorum in triangulos, consideres. Nec cur in eodem trigono diuersis temporibus diuersæ monarchiæ non habent eandem durationem, nec vnde dominium planetarum in ciuitates agnosci queat.

De dominio Planetarum super prouincias ex nostro dogmate: similiter & signorum: & de translationibus imperiorum, & religionis, & artium, propter Solis & obliquitatis & absidum & fixarum mutationem.

ARTIC. II.

1 DIcendum igitur nobis est de dominio planetarum, & signorum, super prouincias singulas, ac mox de translationibus & principiis imperiorum & sectarum ex nostro dogmate.

2 Quoniam in situ rerum vniuersitatis variatio contingit magna ex fixarum translatione de signo in signum: propterea quod Sol præuenit æquinoctia, & solstitia: præuenit autem, quia circulos angustiores describit: hoc autem fit quia continuò telluri fit propinquior: vnde est quod obliquitas erga tropicos decrescit: propterea ex descensu Solis & obliquitatis restrictione, & solstitiorum anticipatione, & signorum mutatione nobis de rebus magnis philosophandum est in mundo inferiori. Quoniam verò hæc symptomata non fiunt regulariter, sed aliquando velociter, aliquando tardè, aliquando mediocriter, sicut lubet primæ causæ rerum varietates sic ordinanti, propterea & ex anomaliis nobis astrologandum est.

3 Prima causa generalis translationis imperiorum, & artium, & religionis, est continuus Solis descensus ad terram comburen-

dam,ſicuti D.Ieſus dixit,& S.Petr.in epiſt.& Seneca ad Martham, & Lucanus,& Sibylla, & Hydaſpes, & Heraclitus. Quamuis ſequaces quidam Galilæi publicent Solem creſcere nutritionè: ideóque videri maiorem, & propinquiorem. quod in quæſtionibus phyſicis reprobauimus: & aliorum planetarum excentricitas diminuta,qui non ſunt ignei Galilæo,nec nutriuntur,demonſtrat. ſed quomodocumque ſit pro vicinitate valet robur augmenti.

4 Quando Sol altiſſimus erat, imperium & religio præualuit ſub æquatore,teſte Strabone,vbi ſummum ius Sacerdotum erat etiam ſuper Reges, & religio valida,doctrinæque. Sol enim eorum purgabat ſpiritus animales, & attenuabat, non autem nimis,neque fuliginem faciebat, ſolúmque non ſic ardebat. Vbi autem virtus, ibi etiam fortuna,teſte T.Liuio. Cum autem Sol cœpiſſet deſcendere, aruit tellus æquinoctialis ex parte, ingeniáq; fuliginoſa facta ſunt,præſertim propè tropicos:ac religio & imperium in Ægyptios & Babylonios ſeceſſit verſus borealem polum.Quo etiam tempore Italia habebat Læſtrygones, & Sicilia anthropophagos Cyclopes,& Germania ſylueſtribus plena erat hominibus,nec tellus colebatur,nec Deæ erãt in Italia,niſi in littoribus,teſte Plinio,nullæque palmæ. Mox cum areſceret Ægyptus,Sole deſcendẽte,& Babylon,quæ aureum caput imperiorũ eſt apud Danielem,inuentrix artium belli, & pacis, & dominij, cœpiſſet fuligine vexari,& vitiis idololatriaque, quæ beſtiarum eſt; tunc imperium in Medos ſeptentrionaliores iam purgatos frigoris & vitiorum incommoditatibus tranſlatum eſt: & in Iudæos religio borealiores, & occidentaliores. ſemper enim ab ortu in occaſum,& ex meridie in ſeptentrionem itum eſt. Conuenit enim Boreas occidenti. Similiter arbores,& ſoli cultus in borealiores migrabat.Poſtmodum in Perſidem ſeceſſit imperium,& artes: & religio tranſiit in Palæſtinos,& Græcos,qui purgabantur ingenio, dum meridiani plus iuſto calebant extra temperiem. Ex Perſide deinde tranſiuit in Græcos,Macedonáſque borealiores & occidentaliores, ſapientiáque & religio, & artes, & telluris & ingeniorum cultus. Eodem modo ex Tyriis ad Carthaginenſes, & ex his ad Italos, Romanóſque,qui ſub Hercule incultiſſimi erant. Tandem ad Romanos tranſierunt artes, politia, & regnum mundi, dum noſtra tellus, & ingenium melioratur, illorúmque deterioratur. Tandem ex Romanis ad Gallos, ex Gallis ad Germanos, ex Germanis ad Hiſpanos, quĩ ſunt in occiduo terræ cardine borealiſſimo. Nam inſulis, cum ſint

partes,

partes à terra reciſæ, non competit eſſe caput imperiorum. Hinc tandem ab Hiſpanis in alterum hemiſphærium migrant religio & cultus ingeniorum, & telluris: quæ etiam hoc idem manifeſtat. Nam tempore Plinij non fiebant dactyli in Italia nunc fiunt: non maturabantur in Cypro, nunc maturantur. Non fiebat vinum in Gallia, nunc etiam in valle fit Renana. Non colebatur tellus in Germania, nec frumenta erant: vitam ex raptu & in ſyluis agebant ſine ciuitatibus: nunc autem ciuiliſſima eſt Germania moribus, artibus, & cultu telluris & ciuitatum. Hinc ad barbariſſimos olim Cimbricos, & Suecos, virtus religióque deuenit, & artes: ita vt Thyco mathematicos etiam Ægyptios ipſe in Dania ſuperarit: & Copernicus Pythagoricas Philolai ſectas ſuſcitarit in Germania, quaſi ab Italia eo vſq; non modo imperium, ſed & ſcientiæ trãſlatæ ſint, operante melius ibi nunc Sole ad cultũ telluris & animorum. Hoc autem ſic euenire nemo dubitet, cum S. Thomas à cœlo temperies accerſat: & fatuos & ſtupidos poſſe fieri, & à meliori conſtellatione aptos doctrinis doceat, ratioque conteſtetur. quapropter quamuis perſeuerent iidem trigoni, nihilominus ex deſcenſu Solis & planetarum vires trigonorum mutari oportet: tunc autem cum Sol velociùs deſcendit, vt tempore Macometi.

5 Secunda cauſa generalis mutationis rerum inferiorum eſt tranſlatio figurarum ſtellarum de cardine in cardinem & de ſitu vnius ſigni in ſitum alterius, quæ fit in 100. annis gradu vno ſecundum Ptolemæum. ergo in 36. millibus totus circulus abſoluitur. Alphonſo verò in 49. millibus, Copernico in 25816. à quo Thyco non multum recedit. Albatagnius autem minuit: illi enim in annis 70. & menſibus 7. perambulant fixæ in poſteriora gradu vno. huic verò in annis 66. ſed Copernicus locat anomaliam inter ſecunda 70. & Thyco 30. & inter ſec. 50. 12. 5. annuatim propter obſeruata priſcorum. de quibus alibi, & quomodo omnes falluntur. Cum igitur transferantur fixæ de Borea in Auſtrum & è conuerſo, neceſſe eſt ſic etiam mutari regna & res humanas, vt heliotropium ad Solem: tunc autem maximè id innoteſcere, cum ſtellæ primæ magnitudinis in alia ſigna tranſeunt. Proptereáque quando ſtellæ Leonis tranſierunt in Virginem, præcipuè cauda ♌, tunc imperium Italiæ à Conſtantino tranſlatum eſt in Græciam. Italia enim Leoni, Græcia Virgini, ſubeſt ſecundum Ptolemæum. Leo autem fortiſſimum eſt ſignum, in quo Baſiliſcus perſeuerauit: ideò Italia non nimis depreſſa eſt.

Tranſie

Transierunt tamen Vandali, Gotthi, & Heruli in Italiam, quando stellæ Cancri in Leonem, & cum Basiliscus in Virginem transibit post sexcentos annos ferè, Italica virtus, & dominatus corruet, & Respublica, nisi fortasse ex Caniculæ ingressu conseruetur. quod non omnino spero, cum sit latitudinis multæ, Basiliscus autem in Zodiacum incidat: timeo à barbarico dominatu. Stellæ enim exteræ inducunt exteros dominatores. vnde imperium Italicum, & Turcicum, in Græcia surrexerunt, non autem Græcum quod corruit. Cum autem stellæ Tauri in Geminos intrassent, intrauit in Ægyptum imperium exterorum, & in Cataio & Tartaris minus borealibus multa regna ex Aldebaram ortum habuere. Ex quo etiam in Sagittarium transiuit Antares virtus Maurorum subiectorum Scorpioni decreuit, & Hispani dominatum recuperarũt, & ex Hispania Mauros expulerunt, & dominium in exteras regiones ampliarunt. Sed nota quod si in eiusdem trigoni regiones imperium extenditur, politicum erit, si in diuersi trigoni, despoticum. In Italia ciuiliter regnant Hispani, sed in Africa & America crudeliter. Nec in Anglia & Germania potuere stabiliri, quoniam sunt eiusdem trigoni, & Aries stellis nobilibus insignitur. Variantur & mores ob transitum talium stellarum. Multa bona regiones. Libræ subditæ ab Azimech accepere. vt Troglodytæ regno potiti, & Cataini, & Veneti sub synodo magna in Libra Rempublicam fundantes. Quando autem promulgatur noua lex, si in regione subdita trigono, sub cuius synodis magnis fit, promulgatur, durabit tempore multo, & facile plantatur: si sub contrario, difficilè radices aget ibi, sed transibit ad regiones sui trigoni. Vnde macometana magis viget in Africa vbi est △ ♋, sub quo cœpit, quàm in Arabia, vbi ♓. Sic lex Christi magis in Hispania, vbi Sagittarius, sub quo cœpit, quàm in Syria, vbi cœpit. Confirmatur autem in Italia sub Leone signo fixo, quoniam exterior triangulus potentior & durabilior.

6 Tertia causa generalis est mutatio absidum planetarum de signo in signum, maximè si mobile: quæ fit in 1500. annis in Sole, sed in cæteris planetis diuersis temporibus, vt è Copernico & Thycone adnotatur. Palam est quod dum Solis apogæum in ♋ intrauit, secta Macometi eius trigoni viguit, & principatus Turcarum, Seriforum, Sofiorum, & aliorum magnificatus est. Similiter quando in Libram Iouis apogæum peruenit, imperium Tartaro-

rum

rum ſurrexit, & legiſlator eorum Cingus, qui miracula Moyſi dicitur æmulatus tranſito Caſpio mari cum ſociis ſicco pede. Similiter Alexander Magnus ſub eodem trigono imperium amplificans, dicitur fluuium ex Caſpiis montibus erumpentem frænaſſe, & ſe filium Dei Ammonis prædicaſſe. Saturnus enim & Mercurius ad miracula inclinant. homines autem vtuntur illis ſiue verè ſiue falſo. Propterea non ſunt Moyſi æquiparandi, ſicuti neque Theudas, neque Apollonius, Chriſto, neque Arrius Athanaſio, licèt ſimilia ſub eiſdem trigonis aggreſſi fuerint.

7 Præterea hoc tempore intrauit abſis Mercurij de Scorpione ſigno Macometico & Maurorum peſtilente in Sagittarium ſignum Chriſtianum Hiſpanicum: propterea eloquentia, & mercatura, in orientem & occidentem, & legis promulgatio & literatura, & inuentiones artium tranſierunt ab illis ad noſtros. Hiſpaníque plurimum in Africanis littoribus vbique eis obſtant, & colonias tollunt, ſuáſque plantant, maximè ad littora meridionalia, & orientalia, & apud Arabes, & Inſulanos, & Perſarum terminos, prædicatores ab Hiſpania diffunduntur, & litteræ cœpere ibi maxime coli: & in Hetruria noua ſcientia ſiderum incipit à Galilæo. Eſt enim Hetruria Sagittario quoque ſubdita, ex qua mira ſperamus. Cum autem abſis ♄ in ♐ ibit, quod poſt quindecim fiet annos, ibi Antichriſti prædicationem quis expectet oportet (eſt enim ſignum Solis in geneſi Chriſti:) vel alias nouitates, de quibus in prophetalibus. Surgent in India, & in Illyrico, & Macedonia dominationes & ſectæ mirificentiſſimæ, ſi verè huic ſigno ſubſunt, vt dixit Ptolemæus.

8 Quarta cauſa grandium mutationum eſt obliquitatum mutatio tam in excurſu Solis, quam Planetarum. Patet enim quod ſicut populus, & vlmus, & tilia conuertunt comas, vbi Sol eſt in tropicis, ſic & animarum motiones ſiderales. Quapropter ex quo cœpit obliquitas ſtringi, quæ ſub Ptolemæo erat grad. 23. m. 52. nunc autem grad. 23. m. 28. ferè ſemper populi ſeptentrionales in meridionales plagas excurrerunt: vt Longobardi, Gotthi, Heruli, Hunni, Vandali, Turcæ, Tartari, Mogori. At ſi prius dilatabatur, vt putat Copernicus, quod non credo, Romani propterea, & Macedones, & Perſæ in Septentrionem, imperium ampliauerunt, & colonias. Hoc autem incertum eſt. Neque tanta eſt Romanorum in Boream migratio, aut ſaltem duratio, & omnium Principum Auſtralium, quanta fuit ſolorum, Gotthorum in Au-

ſtrum effuſio. Idem euenit in India orientali. Nec vnquam Africani in Italia, ſicuti Itali in Africa præualuerunt. Hoc autem ex conſilio Dei eſt, vt inſerantur ſemina fœcundarum nationum borealium cum ſterilibus meridionalium. Tranſitus autem noſtrorum potius eſt ſecundum longitudinem in imperiorum amplificatione. Quando autem ad Boream, ex alia cauſa trigonorum,& cometarum,fuit : cui contradixit obliquitatis ratio. Poteſt etiam creſcere Planetarum & Lunæ obliquitas. Sed de his in Aſtronomia. Planeta igitur dominator impellet, prout obliquitatis ſuæ ratio poſtulat, in Boream vel Auſtrum,ſicuti latitudo ventos ſuæ poſitionis. Spiritus enim animalis inſtar eſt venti, cuius impulſum ſequi & frænare poteſt mens humana : plerunque tamen ſectatur, teſte S. Thoma. Hi ſeptem dies creationis reſpondent ſeptem millenariis annorum ætatis mundi, vt Dauid, S. Petrus,& Rabbini dicere videntur. Conſiderandum eſt ſemper ſub quo millenario & Planeta ſumus. videmur nunc eſſe in ſexto, & ſub ☿, in Chriſto ſub ☀. vide lib.6.

De cæteris cauſis, & initiis mutationum, & modis,& veritatibus eorum.

ARTIC. III.

1 SIcut menſis continet multos dies, ſic annus multos menſes, ſic & ſæculum multos annos. Sæculorum autem nouorum cauſæ & initia pariter vt dierum & annorum circulariter currunt.

2 Prima cauſa putatur Cardano coniunctio capitum Arietis octauæ ac nonæ ſphæræ, quæ fit poſt 36. millia annorum,vel plures, vel pauciores, vt dicebamus. Putátque ſub Chriſto naſcente celebratam fuiſſe, ſed fallitur, vt patet ex calculo Copernici. tunc enim quatuor ferè gradibus diſtabat prima ſtella Arietis à cardine æquinoctiali. Dubitóque valdè an ſemper receſſerit, quandoquidem Moyſes & Chaldæi & omnia ſæcula priſca à prima ♈ ſtellati, non à Tauro, vt par erat, cæpere æquinoctium, & Aries fuit principium dodecatemoriæ ſignorum. oportuiſſet autem tempore Chriſti elongatum fuiſſe à cardine 30. ferè gradibus,ex quo in Chaldæa ſub Ioue Belo Prometheus Aſtrologiam promulgarat. Quod ſi ſemper recœſſit, neſcire nos fatendum eſt,

quod

quodnam fuit ſidus ab exordio mundi caput æquinoctij, cum & mundi ætas ſit incertiſſima. Si verò cœpit fieri iſta receſſio ſub Hipparcho, vel paulo antè, vt videtur, propter principatum Arietis ab æuo, mirum eſt, vnde hæc nouitas abſque nouitate maxima in rebus humanis ab eo, qui dixit: Mouebo cœlum & terram, & veniet deſideratus cunctis gentibus. & vere ſic fuit in aduentu Chriſti, quem & noua ſtella ſub Hipparcho præhunciauit. hanc in incerto relinquo, ſicuti & tempus reuerſionis. Hoc tamen certo pronuncio, falli Ptolemæum, & Copernicum, & Alphonſum, & omnes, qui cum Albumaſar mundi finem poſt tot millia annorum ſperant. Nam anomaliæ docent Dei nutu, non noſtra menſura, moueri cœli machinam. Vide Proph.

3 Secunda cauſa eſt reuerſio coniunctionis magnæ ♃ & ♄ ad primam triplicitatem, præcipuè in ♈, quæ fit poſt 795. annos. Tertia eſt tranſitus coniunctionum magnarum earundem de trigono in trigonum, quæ fit in 199. annis. Quarta eſt reditus ♄ ad initium ♈ in 30. annis, & ad quoduis ſignum cardinale. Quinta eſt coniunctio ♃ & ♄ in 20. annis. Sexta, reditus ♃ in ♈ in 12. annis. Septima eſt coniunctio ♂ & ♃ in menſibus 27. Octaua, coniunctio ☌ cum ♂ in menſibus 26. Nona eſt ♂ cum ♄ in 25. menſibus. Decima, circuitus ♂ in 23. menſibus. Vndecima, coniunctio ☌ cum ♃ in menſibus 14. Duodecima ☌ cum ♄ in menſibus 13. Decimatertia, circulus ☌ in 12. Decimaquarta, coniunctio ☌ cum ♀ in menſibus 10. Decimaquinta eſt coniunctio ☌ cum ☿ in diebus 58. Decimaſexta ☽ cum ☌ in diebus 29. & hor. 10. Decimaſeptima eſt reuolutio ☉ in diebus 27. & hor. 8. Decimaoctaua eſt reditus Planetæ, vel fixæ, aut coniunctio ad finitorem in horoſcopo, vel medio cœli, qui tantam habet vim, quantam ingreſſus eiuſdem ſtellæ in ♈, vt dicit Cardanus. Nam Planeta ſortitur tantam vim, quanta eſt raritas euentus. Raritatum autem ſemper eſt pars trecenteſima ſexageſima. ergo idem eſt habere gradum in horoſcopo, & ingreſſum in ♈. Nam ♄ in ♈ poſt 30. annos intrat, & manet in primo gradu per menſem: qui eſt 360. pars annorum 30. Sic in horoſcopo manet minutis 4. horæ, quæ eſt 360. pars diei. Similiter ♄ & ♃ manent coniuncti 20. dies, quæ eſt 360. pars 20. annorum. Erit ſimiliter idem in omnibus. Sed variatio accidit à viribus Planetarum, & commiſtione fixarum & aliorum. hæc ille. Nos autem putamus eandem raritatem in eodem puncto idem facere. Conſtat autemin ♉,

& in ♈, ingredi ſimiliter poſt 30. annos: ſed aliud hic aliud ibi fieri, quoniam ſitus ſignorum variat actionem. Decimanona cauſa eſt coniunctio ♀ cum ☿, quinque poſt menſes, & dies 3. Vigeſima eſt Solis in puncta cardinalia introitus poſt tres quoſque menſes.

4 Harum cauſarum tardiores & rariores ſunt efficaciores, & effectus diuturniores faciunt. Cardanus, quando duæ cauſæ aut plures concurrunt, multiplicat raritatem effectus vnius cauſæ in alterius, vt coniunctionis magnæ, quæ fit 20. annis per coniunctionem Solis & Lunæ, quæ in 27. diebus & horis 8. ſi ſimul coniunguntur: ſi diſtant pro ratione diſtantiæ. Sed verò effectus hi variantur adhuc à ſequentibus conſtitutionibus. Si diſtat ſemidiametro, multiplicabis dimidium Lunæ motum per 20. ſi per gradum, quartam partem 38. Secundò multiplicatur magnitudo effectus ex raritate ſecundum applicationem exquiſitam. Vt ♃ habet quatuor vires, Iupiter quinque, Mars tres. Si ergo ſunt coniuncti in eodem puncto, multiplicabis tres, quatuor, & quinque ſimul: & erit effectus ille 60. in robore. At ſi ♂ diſtat per gradum minoratur.

Præter prædicta principia mutationum rationem anomaliarum eſſe habendam, concordiámque eius cum mutationibus magnis.

ARTIC. IV.

1 PORrò Ptolemæus omnium mutationum cauſas ponit eclipſes & cometas. Nos autem omnes præfatas coniunctiones, & addimus eclipſes, & cometas. Item durationis effectuum cauſas ponit tempus eclipſis, & cometarum. Nos autem & Cardani regulas non ſpernimus, & triplicitatum tempora, & aliarum conſtitutionum. Tandem addimus anomalias obliquitatis, & excentricitatis, & abſidum, & cardinum, & tranſlationis ſtellarum de dodecatemoria in dodecatemoriam: quæ in cunctis ſecundum Copernicum fit in 1717. annis. reuerſio autem obliquitatis in 3434. putat enim polos librari inuicem, & alterna libratione concuti, vt duplicent motum in modum corollæ intortæ. Sed cum Sol ſemper ſit deprehenſus deſcendere

dere & obliquitas ſemper minui, & ſtellæ fixæ ſemper in poſteriora transferri; vtique falſa reputanda eſt illa reuerſio Solis ſurſum, & ad polos tropicorum, & ſiderum in aliam viam. Concedenda tamen anomalia, quamuis à Thycone negata: ſed non ſemper 1717. ann. quandoquidem non niſi vnam Copernicus obſeruauit ab Hipparcho ad nos. Ex vna autem fieri vniuerſalis regula non debet. Nec polos ſic corollari putandum; nec reuerſiones obliquitatum faciendæ. ſemper enim deſcendunt planetæ, & obliquitas ſtringitur, donec figura huius mundi concidat. Interim dico quod lex & imperium, quæ incipit in tarditate anomaliarum durat temporibus longiſſimis, vt Romanum & Babylonicum. Quæ autem in velocitate, breui creſcunt, & mutantur. patet enim quod tempore Ptolemæi fixæ vno gradu in 100. annis incedebant, ex quo cœpit monarchia Cæſarum: & CHRISTVS natus eſt, eligens ſibi tempus primi trigoni omnium optimi, & conſtantiam anomaliarum. Tempore autem Albategnij 60. annis gradum vnum conficiebant, & tunc velociſſima fuit anomalia. Et Macometi lex cœpit in quarto trigono, quæ velociter orbem peragrauit vna cum armis Saracenorum: mox elanguit: nunc autem roborata eſt ex tranſitu abſidum ☀ & ♀ in ♋. & quoniam ob ☽ & ♂ trigoni natura cum tempore anomaliæ conueniebat. At Caroli Magni monarchia cœpit ſub velocitate anomaliæ, quæ non conuenit primo trigono tardo Iouis: idcirco non ita durauit, nec ſe amplificauit, licèt velociter ſe erexerit. Quæ autem hoc tempore incipiet, ſi eſt Hiſpanica, franget vires Turcarum, & durabit diutiſſimè, quoniam ſub tarditate & trigono tardo, ſi non fallitur Copernicus, & Thyconi videtur, de quibus alibi. Conſidera etiam in cunctis planetarum mutationibus, an ſint tardi, vel veloces, vel in angulo, vel in ſuccedentibus, vel in cadentibus, vel matutini, vel veſpertini. ſic enim de velocitate, & duratione iudicabis non imperitè.

2 Datur & alia cauſa generalis, ſcilicet exortus nouæ ſtellæ in octauo orbe. vide cap. 5. art. vlt.

De dominiis planetarum & signorum super prouincias & ciuitates agnoscendis iuxta nostra dogmata, quamuis translatis cœlestibus causis.

ARTIC. V.

1 PAtent ex his causæ & initia effectuum sidereorum, sed non super quibus rebus speciatim: neque super quibus regionibus, nisi scias cui signo atque planetæ subsint. quod ex Ptolemæi doctrina non satis constitit, cum variati sint mores & vires nationum: neque fortassis ex nostra: sed tamen aliquid certius habemus. Dicam ergo, quod sub æquatore semper ♃ in medio, ♄ in extremis, ♂ & Venus in intermediis dominantur. Extra tropicos vsque ad 70. gradus priores habet Venus, secundas Iupiter; tertias Mars. At quemadmodum transeuntibus fixis de signo in signum apud Ptolemæum variantur mores, & vires regionum, sic in nostro dogmate, descendente Sole Saturni vis extra tropicos dilatatur paulatim: ac proinde Venus paulò exterius dominium suum, seu limites dominij, defert. Sic Iouis dominium migrat vlterius cum limitibus sùis, vt iam ex Italia & Græcia in Galliam & Germaniam incedat, nobisque Venus succedat. Mars autem ad 70. gradum, & vltra peruenit. Sic enim variantur temperies, & aliis conueniunt planetis. Stellarum quoque migratio fixarum plurimum mutat. Quapropter ex his generaliter sic philosophamur.

2 Specialiter autem ex eo, quod, dum in aliquo signo fit eclipsis, vel synodus magna, afficitur aliqua prouincia, scimus quod illa prouincia ei signo subest, vt Bransuicum Capricorno à Reinoldo hac ratione subditur.

3 Dum aliquis planeta afficitur bene vel male, quæ ciuitas vel regio sic afficitur, illi subest.

4 Ex moribus regionis & vestibus & coloribus: iustissimi enim Veneti, & habitu nigro religioso vtentes, Ioui subduntur, & ♄.

5 Ex situ vrbis: nam in aquis Venetia aquaticis datur signis, vt ♌ vel ♋. sic Holandia, & olim Mexicus.

6 Ex

6 Ex eo, quod in fundatione præfuit ſynodus magna in tali ſigno: vt ante Venetiarum fundationem fuit in ♎.& in fundatione Lutheraniſmi, & Rerumpublicarum Suizzerorum, & Griſonum, & Holandiæ, in ♋ & ſignis aqueis. quæ aquea loca, & deſerta, etiam Ptolemæo ſignificant.

7 Ex horoſcopo & aphetis erecta figura, vt in geneſi.

8 Cum iſta deſunt ex die, quo mercatus in illa ciuitate celebratur, propterea arbitror Neapolim Tauro ſubditam, quia in die Lunæ & Veneris fit mercatus Neapoli, & verè vt Luna mutantur, & vt ♀ delitiantur. hæc regula eſt exilis ex Abenragel: verum additis moribus valet. nec puto Arieti truci Neapolim aſſignandam, vt quidam ſcribunt. Conſentiæ fit mercatus in die Saturni, & verè Conſentini ſunt ſaturnini.

Vtrum autem planeta in diebus dominetur, qui horæ primæ ciuili, vt per tria millia annorum à Chaldæis in Ægyptios & Romanos traditio & vſus habet, dubitat S. Thomas in opuſc. & ait hoc nil ad Theologum: neque enim fidei contradicit, neque fauet. Sed ſi ſeptimana conſtat natura, & hoc quis acceptabit, quod planetis correſpondeat, ſicut & hominum ætates apud Ptolemæum, quæ etiam cum anno & die & menſe ſymbolum habent, vt ſuo loco dicemus.

9 Ciuitas aliquando ſubeſt trigono ſuæ prouinciæ, aliquando alteri ſigno, ſub quo fundata eſt: ideóque vt agnoſcas, an afficienda ſit, trigonum ſcias, & eius geneſim. Quæ ſi deſit, cape Medium Cœli principis ciuitatis, & ſecundum ipſum iudica: nam eadem eſt paſſio & actio principis & vaſſallorum.

10 Erige figuras coniunctionum magnarum & principij ſectarum & regnorum, & iudica, ſicut de eclipſi dicemus.

De eclipſium indicationibus & affectione.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 CAuſæ, inquit Ptolemæus, affectionum ſunt eclipſes & tranſitus ſtellarum in angulis, aut loco eclipſis, aut reſpicientium.

2 Iudicium ferendum eſt ſuper prouinciam, & ciuitatem, quæ ſubeſt loco eclipſis, aut menſtruationi configuratarum ſtellarum ♄ ♃ ♂, cum ſunt ſtationarij: nam quando ſunt in loco eclipſis,

pſis, vel aſpiciunt illam, vel angulum occupant, aut oriuntur, aut occidunt, aut culminant, aut imant cœlum, poſſunt ſuper omnes: maximè ſi ſtationarij ſunt, quoniam viciniores nobis, & firmiores ad effectum promouendum: præſertim autem ſi domini ſunt, valent benefici ad bonum, malefici ad malum: præſertim vbi cadunt, vt ♂ & ♄ in ♋. eorum caſu, vbi, Iouis ille, iſte Lunæ, effectus corrumpunt ibi dominantium.

3 Oportet conſiderare, & dictas cauſas agentes, & initia actionum, & genus patientis, & tempus, & locum, & qualitatem effectus, & magnitudinem.

De loco afficiendo à cauſis ſidereis in eclipſi.

ARTIC. II.

QVoad locum dicimus affici prouinciam, quæ loco eclipſis ſubeſt, & ciuitatem, quæ ſigno ſubeſt, aut configuratur eius apheta, vel horoſcopus, itémue medium cœli gubernatoris, vel principis ciuitatis, vel prouinciæ: præſertim in ſolaribus eclipſibus, & ibi ſolum, vbi apparet ſuper terram.

De principio & duratione effectus.

ARTIC. III.

1 AD tempus ſciendum oportet erigere figuram, vt in geneſi: & conſiderare in defectu Solis & Lunæ, quot horis æquinoctialibus fit: tot namque annis erit duraturus effectus eclipſis ſolaris, totidémque menſibus effectus eclipſis lunaris: partibus autem pro horarum partibus.

2 Si eclipſis fit in horizonte orientali, incipit effectus in quatuor primis menſibus, & tunc fortior erit in principio: & paulatim debilitatur per tot menſes, aut partes, quot horis aut partibus ſuper terram poteſt videri. Si in medio cœli fit, in quatuor ſecundis menſibus incipiet effectus, & in principio erit debilis, in medio fortis, in fine decreſcit. Si in occidentali quarta fit, incipiet in tertiis quatuor menſibus: hoc eſt poſt octauum, vſque ad duodecimum pro rata diſtantiæ ab angulo occidentis: & fortiſſima erit in vltima ſui portione, vt ratio dictat, experientiaque.

3 Putant

3 Putant aliqui pro ciuilium horarum numero ab ortu Solis in eclipsi incipiendum in numero mensium eidem numero respondentium. Sed melius ab medio eclipsis auspicandum tempus, & per quiartas iam dictas cum Ptolemæo.

4 Ergo omnes eclipses ostendunt effectum in primo anno ab hora sua: & non potest vllus progredi vltra menses 30. in solari: in lunari vltra 16.

5 Plenilunia, & interlunia,& quadrata in locis eclipsium augent effectus: itidem in locis configuratis, vt in trigono aspectu: minuunt verò si non concordauerint. Similiter planetæ & fixæ concordantes dignitate, vel aspectu, vel exortu, vel cardinatione eo tempore augent: præsertim si emergunt è radiis, aut sunt in stationibus, aut in ortu. è contra minuunt.

De generibus rerum afficiendarum.

ARTIC. IV.

COgnoscitur genus afficiendarum rerum ex natura signi in loco deliquij, aut in loco cardinali præcedenti, & sequenti eclipsim, vel in loco eclipsis: item ex natura stellarum fixarum, atque vagarum dominantium in deliquio, vel cardine.

De signis afficientibus.

ARTIC. V.

1 NAtura signi est, Primo, vt sit masculinum, fœmininum, diurnum, nocturnum, æquinoctiale, tropicum, fixum, commune,imperans, obediens, intuens, & cuiusuis triplicitatis. Secundò considera formam signi, in quo est eclipsis, & in quo sunt stellæ domini eclipsati loci. Nam si est formæ humanæ,super homines erit effectus: si feralis, super feras: si alatæ, super aues: si reptilis, super serpentes & reptilia. Cancer quidem super marinos septentrionales, Capricornus in Australes, Delphinus in aquas & in classes; Aquarius & Pisces in fluuios & fontes. Argo in vtrumque. Tertiò si deliquium & dominatores sunt in æquinoctio verno, idest in ♈, indicant super fructus, ficus, aues, flores, fruges, germina: si in solstitio ♋, super perceptionem & collectio-

nem frugum : in Ægypto ſuper Nilum : ſi in ♎ æquinoctio, ſuper ſata & pabula, & fructus illius temporis : ſi in ♓ ſuper olera, aues & piſces illius temporis. Nota quod de ſignis cardinalibus loquimur non in ſtellata ſphæra, ſed prout à Sole fiunt. & hæc conuerte decreta in altero hemicyclo, vt decreta ♈, ſint in ♎, & ♋ in ♓. etſi in aliis regionibus, prout diximus, loquentes de domibus, cum de formis loquimur, in ſtellato intelligitur.

De Planetis dominis & fixis erga genus afficiendum.

ARTIC. VI.

1 QVæ ſtella errans pluribus modis adiungitur loco eclipſis & cardinis domina eſt eclipſis adiunctio. In primo loco validior eſt applicatio : in ſecundo defluxus, id eſt corpore, vel radio : tertiò oppoſitio : quartò quadratum. dico in contrariis, ſed in ſimilibus trigonum, & ſextile. Quintò antiſcium. Sextò æquidiſtantia. Septimo dominium. ſed ſeriatim, domus, triplicitas, exaltatio, terminus.

2 Validior eſt, quæ deliquij loco & cardinis plus poteſt : ſecundò quæ deliquij loco tantum. Si verò æquè dominantur duæ ex reſpectu, tunc præponitur quæ præualet dignitate, vel cardinalitate, vel ſecta, & aſſociatione. Directus autem retrogrado non præfertur, niſi in bonis.

3 Fixarum præponitur quæ loco eclipſis adſidet, vel cardini præcedenti, & ſequenti. Solet præponi angulus præcedens. At quidem in fixis hoc eſt verius : in planetis autem ſequens, quoniam in conſequentia mouentur. quot modis cardines cum Luminaribus, vel ante & poſt, vel in angulo ſimul, ſed alio, eſt ſidus, diximus in libro primo. memento tamen, vt præferas eam, quæ in meliori angulo, & aſpectu, & quæ videtur, & à Sole orientalis, deinde occidentalis.

De aliis indicationibus afficiendorum ex ſignis cœli ſpecialius.

ARTIC. VII.

1 ÆQuinoctialia ſigna ſignificationem habent ſacrorum, & religionis per accidens & indirectè ex S. Thoma, nec vt cauſæ totales. Tropica aëris mutationum, & in rebuſpublicis morum

rum & legum. Multa ſiquidem fit mutatio à Sole in ſignis æquinoctialibus, ſicuti fit multa per leges & ſectas. In tropicis autem extremi ſunt calor & frigus, qui in aërem poſſunt multum,& ponunt actu mutationes animi,afficiendo ſenſum & appetitũ,& quia ſunt in quadrato æquinoctiorum, mutant leges factas ſub illis.

2 Fixa ſigna,ſuper fundationem & ſubſtructionem ædificiorum, ciuitatum, & ſimilium rerum durabilium, eo quod fixa ſunt. At bicorporea ſuper homines & reges & magiſtratus. ſuper homines quidem & plebes,quia ſunt formæ humanæ & communia. Super reges, quia duplices animo ſunt, præſertim ex ↦ ferino humanoque : non tamen ſic improbos, licèt duplices ex ♍ & ♊.

3 Deliquium in orientali angulo indicat in iuuentutem, & fructus, & initia rerum & ædificiorum : in medio cœli, in reges & templa, & ætatem virilem : in occidente, ſuper ſenes, auos, mortuos,res vetuſtas,& ſtatutorum & legum mutationes.

De magnitudine effectus.

ARTIC. VIII.

1 MAgnitudo deliquij indicat effectus magnitudinem. Nam ſi tota Luna eclipſatur, totum genus afficitur : ſi dimidia, dimidium : item plures vel pauci vel mediocres, prout erit.

2 Idem oſtendit habitudo configuratorum aſtrorum : nam veſpertini ad ſolarem eclipſim, & matutini ad lunarem parum operantur, & in paucos : è contra verò multum & in plures. Item dominatores in diametro deliquij afficiunt medium generis : in loco deliquij plus dimidij, tanto plus, quanto ſunt orientaliores à Sole, & occidentaliores à Luna. & è contra,eo minus,qui orientaliores à Luna & occidentales à Sole.

De qualitate effectuum ab agentibus in eclipſis dominis.

ARTIC. IX.

1 QVemadmodum à ſigno deliquij ſumitur iudicium afficiendarum generis rerum : ſic à ſtellis dominantibus in loco eclipſis, & cardinis,commiſtiſque corpore, vel radio, qualitas effectus boni vel mali decernitur.

2 Luminaria ſunt authores euentuum,vt principes cauſæ ; cæterique

rique planetæ ſunt qualificatores: quibus ius committunt, & interregnum, qui ex ſui & commiſſorum natura qualificant. primus dominus primo, ſecundus ſecundo. Primum diximus, qui loco deliquij, & cardinis, dominatur. Secundum qui in cardine & dominatur & aſpicit. Tertium qui aſpicit & non dominatur. At ſi nullus aſpicit, primus erit, qui dominatur loco eclipſis: ſecundus qui dominatur loco cardinis: tertius dominus locorum, in quibus ſunt præfati dominatores.

3 Fixæ autem ſimiles planetis determinant effectus, vt illi. conſiderandi ſunt non ſolum planetæ, ſed etiam fixæ, & vtrorumque miſtiones, & cum locis conuenientiores. Conueniunt autem non ſolum radio & dominio, ſed etiam coniunctione, æquali aſcenſione, antiſcio, æquidiſtantia: in circulo poſitionis eodem corpore, vel aſpectu: aut ſi ſimul oriantur, aut occidant, aut culminent, aut iment, vel ex aduerſo, vel configuratione alia.

4 Saturnus ergo cum ſolus fuerit dominator, corrumpit frigore generaliter. Particulariter verò in homines facit morbos diuturnos, tabes, marcores, humores, fluxiones, quartanas, moleſtias, tum exilium, inopiam, anguſtias, terrores, mortes, præſertim ſenum, animalia hominibus vtilia, & ſimilia occidit: herbáſque & fructus nobis vtiles, morbificoſque reddit: ita vt veſcentes ægrotent. In aëre frigus excitat horridum, glacioſum, nebuloſum, peſtilens, tempeſtates, denſas nubes, caligines, niues noxias, non ſalubres: gignit ſerpentes. In mari & fluuijs hyemes, naufragia, difficiles nauigationes, piſcium penuriam, & interitum, inundationes, voragines aquarum, deprauationes. In terra frugum caritatem, penuriam, vaſtitatem, præſertim vtilium homini, erucas immittit, locuſtas, aquarum inundationes, nimborum impetus, grandinem: vnde fames & morbi, vnde pereant homines.

5 Iupiter ſolus generaliter blandè calefacit, humectatque, incrementum rebus conferens. ſed particulariter ſuper homines valens, largitur gloriam, amicitias, tranquillitatem, pacem, rem familiarem auget, corpus animúmque componit, confert dona & beneficia à regnatoribus, quos etiam auget & ornat, magnanimóſque facit, & vniuerſæ fœlicitatis eſt author. Animalium vtilium nobis copiam & bonitatem dat, inutilium mortem & imbecillitatem. Tempeſtates ſalubres facit ventis & imbribus, altrices terreſtrium, & pulchras ſerenitates: fortunat claſſibus curſum, & frugum copiam, & contraria Saturni decretis facit.

6 Mars

6 Mars vbi ſolus interregnat,corrumpit feruore. particulariter in homines ſæuit bellis, ſeditionibus, carcere, populationibus, tumultibus plebeis, iracundiis principum, & ab his inopinatas mortes infert. Dat febres æſtuantes,tertianas, ſanguinis eruptiones, morbos acutos, mortes violentas, præcipuè ætatis virilis. Item ex eo vis,contumelia,iniuriæ,incendia,homicidia,rapinæ,latrocinia. In aëre calidos facit ventos,peſtilentes,tabificos, fulmina, flammas, ſqualorem. In mari ſubitas nauium ſubmerſiones per ventos turbulentos,fulmina & huiuſmodi. Fluuios exorbet, ſiccat fontes,deprauat latices. Animalia nobis vtilia, & fructus, & fruges vſui noſtro deditas, aut interficit in germine, & nondum percepta æſtu diro, aut percepta per conflagrationem,& deprædationem.

7 Venus ſola generaliter eadem quæ Iupiter facit: ſed cum venuſtate quadam ſpeciatim hominibus famam conciliat, honores, gaudia, annos frugiferos: fortunata dat connubia, copiam liberorum,gratiam in coniunctionibus, incrementa bonorum, victum mundum, amicitias gratas potentiorum & principum : item corporis decorem, honeſtatem, venerationem,reuerentias. Aërem ventis replet temperatis, humidis, fœcundiſſimis,commoda tempeſtate, ſerenitate, imbrium tempeſtiua immiſſione, nauibus curſus fœlices, ſucceſſus lucroſos. Fluminum alueos complet. Animalium vtilium, & frugum copiam, incrementum, commoditatem,bonitatem dat.

8 Mercurius generaliter ſolus interrex, pro natura ſtellæ, cui magis configuratur. Eſt tamen de ſe impetuoſiſſimus omninò: particulariter in hominibus acer, efficax, accommodabilis offerentibus ſe rebus, vſurpator latrociniorum, furtorum, piraticæ inuaſionis, contrariorum ventorum ſuſcitator : configuratus maleficis, author morborum, ſiccitatis,febrium quotidianarum, tuſſis anhelæ, tabis. Item & ſacerdotales rationes,& cultus diuinos, & regios redditus habet, & mutationes ſuis temporibus legum,morum,quæ omnia congruunt cum illis,ac reliquarum ſtellarum commixtione. Commouet ventos turbulentos, vehementes, inſtabiles, ſiccitatem aëris,mobilitates, præſertim quia Soli vicinus, & curſu celer. Tonitrua flammantia immittit, concutit, diſſipátque terram, fulgura ciet. vnde pernicioſus interdum animalibus,& frugibus vtilibus. Flumina ſiccat occidens, explet oriens.

9 Igitur,ſicuti benefica,fauet nobis,& rebus vſui noſtro dicatis, hoſtilibus verò,& hominibus à recta temperie alienis,nempe barbaris, nocet. ſicut malefica,nobis nocet, rebúſque vtilibus nobis; contrariis nociuíſque fauet.

10 Sunt enim ☀ & ☽, quaſi magiſtratus:♃ & ♀ quaſi amici interregnant in eorum defectu: ♄ & ♂ quaſi rebelles tyranníque:☿ medius eſt,habet tamen officia iam dicta peculiaria:ſed minora ſunt mala à maleficis minùs præualentibus,vti & bona à minus potentibus,beneficis,& è contra.

11 Vbi peculiari in natura reperta fuerit ſtella,effectiones conſimiles ipſam conſequuntur , vt diximus : vbi aliis miſcetur, effectiones mixtæ.

12 Peculiarem vocat naturam Ptolemæus, Primo ſi ſola imperet. Secundò ſi in proprio ſtatu,& conditione , vt maſculinus diurnus in die & maſculino ſigno orientalis à ☀. Tertiò vel oriens cum ☀ Quartò vel ſuprà terra occidens à ☀ Quintò vel infrà orientalis à ☀ in die. Sextò vel infrà orientalis in nocte. Septimò vel infrà occidentalis.

13 Planetarum ſtatus conſideratur quinque modis. videlicet ad ☀,ad ☽, ad fixas, ad ſignorum naturam,& dominium ipſorum in eis: & ratione mundi,ideſt quartarum,cardinum,& ad latitudinem,vt in primo dictum eſt.

14 Vires ex mixtura Planetarum & fixarum, & eorum paſſionibus,cum Planeta interregnante , & mixtionis decreta ſunt infinita,iudicióque Aſtrologi relinquuntur,qui plus dabit pluribus , & potentioribus & miſcebit.

De qualitate effectus ex patientibus communibus & ſingularibus.

ARTIC. X.

1 SEdulò obſeruandus eſt dominantium ſtellarum reſpectus ad regiones & vrbes, in quibus cadit ſignificatio : videlicet,ſi perpendiculares, verticales,horizontales,dominatores.Nã ſubpolares minus patiuntur à deliquiis quàm æquinoctiales. ergo Africani magis,& Braſilienſes. Item ſi dominus deliquij dominatur regioni,minus nocebit , vt tyrannus ſuis, minùs quàm alienis.

2 Beneficæ cum dominantur loco eclipſis,& cardinis,ſi etiam ciuitati,

uitati,vel prouinciæ dominantur,nec impediuntur à maleficis,effectus optimos faciunt & maximos. Si autem aliqua conditio deficit,fiunt effectus,pro ratione deficientis. Maleficæ verò ſi dominantur loco eclipſis, & cardini, & regionibus affectis, vel hominibus ſingularibus,& impediuntur à beneficis, minus nocent. Si verò non dominantur loco eclipſis & cardini, & regionibus afficiendis, vel non impediuntur,maximè nocent.

3 Poteſt enim dominari Planeta regioni,& non loco deliquij,qui cardini tantum præeſt,& ſignis, in quibus ſunt domini loci deliquij,& reſpicit ſolum deliquium. Haly autem conſiderat concordiam naturæ regionis cum Planeta & diſcordiam.

4 Particulares homines maximè afficiuntur à deliquiis bene vel malè,quorum loca Luminarium,vel cardinum,fuerint eadem cum illis deliquij. Ineuitabiles verò ſunt partiles occupationes. Sed iudicabis pro natura aphetarum. Deliquium in Piſcibus ſolare factum eſt in anno 1607. vbi ego Lunam & fortunam habeo: & ſecuta eſt eductio de ferro,& carceris foſſa, & dona, & pecunia multa à proceribus, & auxilia. Prædixerámque futuram ex ea pacem inter Venetos & Summum Pontificem, qui illos excommunicarat,quando eclipſis in ♎ præceſſerat. Et quidem facta eſt pax iuxta tempus eclipſis. Interregnabat enim ♃ & ♀ : & ambo erant in loco eclipſis in domo xj. Anno 1613. facta eſt eclipſis in x. ♊ & duos amicos vexauit duriter, qui ibi aphetam habent Solem,licèt alter in ↔ oppoſito puncto.Interregnauit ☿ repertus in fine M.C.in primo ♋ in quadrato ♂ exiſtentis in ♈ initio.Secuta eſt mercatorum,ſcribarum, computiſtarum, & officialium ruina, carcer,exilia,libelli,accuſationes,decretum tempus.etiam durant. quampluraab eclipſibus decreta vera quotidie experior.

5 Propterea in loco ſecundo afficiuntur magis qui habent aphetas in oppoſitione à deliquiis. Tertiò qui in quadratis Sed in configuratione trigona, vel ſextili bene erit, vel non malè. ſi eclipſis mala. iudica tamen iuxta aphetæ conditiones concordantes,& diſcordantes. Verum non afficiuntur,niſi homines, in quorum horizonte ſuper apparet eclipſis,vel ciues ciuitatis affectæ ab eclipſi,vt Haly vult.

6 Sciendum,quod priuatio luminis aliquid demit,vnde temperies & fœlicitas,vel intemperies fit. Propterea eclipſis bona malá-que videtur Haly: ſed alius putat fieri luminis mutationem, non priuationem, quæ bene vel malè afficit. vtrunque tamen verum,

quoniam

quoniam temperies fit talis,& à carentia,& ab additione. Sed profecto nil additur ab eclipsi,sed à cometis. Demitur ab eclipsi : sed interregnantium lumen trahit ad bonum,vel malum, illam diminutionem lucis ordinariæ:vt alias salubris , alias pestilens aër , vapórque fiat,sicut ex carbonibus & paludibus.

Iudicium eclipsium ex coloribus.

ARTIC. XI.

1 SYllogizamus insuper à signo eclipsis colores considerando, & eorum,quæ circa illas colligi solent,vt arearum,quæ sunt coronæ Luminaribus & stellis circumfusæ apparentes, & parheliorum,quæ sunt virgulæ coloratæ apparantes in vaporibus aëris, & in obiectis lumen eclipsatum repercutientibus.

2 Est quidem eclipsis Lunæ rubea, solaris crocea , sed cum vergit ad alios colores , habet de natura Planetæ concoloris. Sed ordinariè lunaris est ♂, solaris ♀ , virgularum & arearum, Mercurij.

3 Igitur si vergunt ad nigrum , vel liuidum , significant ea quæ Saturnus affert : si ad candidum , ♃ : si ad rutilum , ♂ : si ad flauum, ♀: si ad varium, ☿ : solum ad motum,& naturam variam, non quia ita coloratus sit.alij autem Planetæ proprios iam memoratos verè habent colores.

4 Si proprietas coloris dicta per tota Luminarium corpora,aut loca obiecta, eadem erit , totam vel plurimam regionis partem afficit. Sin à quacunque parte apparuerit,in illis partibus, in quas se proprietas inclinabit , erit effectus. vt si super Italiam, in illam partem Italiæ , quam spectat color , aut australem , aut borealem, aut medias &c.

5 Fit color dominantem Planetam significans ex accessu & recessu Luminarium ad nodum , vbi eclipsantur : vt considerat Rex Alphonsus. Vt si Sol est in primo gradu à nodo eclipsatus, erit color niger pressus:in secundo niger obscurus: in tertio fuscus : in quarto fuscus in croceo : in quinto fuscus clarus : in sexto fuscus rubeus : in septimo rubeus : in octauo rufus: in nono rufus glaucus : in decimo rubeus glaucus : in vndecimo croceus : in duodecimo croceus albus. Luna verò eclipsata in gradu 180. ab apogæo in lat. m. 10. habet nigrum pressum colorem. In distan-

tia

tia 210. 150. nigra. In 240. 20. nigra viridis. In 270. & 90. nigra ſubrubra lat. m. 3. In 300. & 60. lat. 30. glauca pallens, ideſt griſea. In lat. 50. pallida griſea. In 330. 30. griſea alba. lat. 60. lat. 90. rufa. hæc ille.

6 Diutina requiritur obſeruatio ad iſta probanda. Noſtræ tamen phyſiologiæ ratio habet, quòd quò fuerit maior obſcuratio, eò obſcurior color; quò minor, eò ad album propenſior. Lux enim contermina clarefacit obſcuratam partem. colores autem variantur ex nigro ad fuſcum, ad purpureũ, ad viride, ad croceum, ad rubrum, ad puniceum, ad albidum: & hi omnes in gradus partiuntur claritate & tenebroſitate compoſitos. de quibus alibi.

De cometarum & ignitarum impreſſionum indicatione & effectione.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 EFfectio cometarum, aliarúmque impreſſionum ignitarum martialis ac mercurialis eſt proprietatis: itaque obſeruandi ſunt cometæ, trabes, dolia, tubæ, cadentia ſidera, ſiue in deliquio, ſiue alio tempore fulſerint: adducunt enim bella, æſtus, turbulentias, & quæ ex his ſequuntur.

2 Generaliter ſiquidem afferunt ariditatem, paucitatem aquarum, mortem piſcium, ventos, prælia in locum, ad quem tendunt.

3 Differunt Traiectiones & cadentia ſidera à cometis: quoniam illæ breuiores & minores effectus habent, & celeriùs ingruentes, ſempérque ſunt ad malum, niſi illi fortè vni, qui ſeditionem mouet & vincit. Solémtque hæ eſſe martiales, improbæque. Cometæ autem crines habent circumcirca, aut barbam, aut caudam. Durántque per ſex menſes ad ſummum, effectúſque diuturniores habent pro ſui duratione, & ſequentibus lunationibus, & eclipſibus, vel cometis fauentibus, aut refragantibus.

4 Locus afficiẽdus eſt ille, qui ſubeſt ſigno, in quo apparet cometa. pars loci noſcitur à caudæ inclinatione. Et ſi diu fulſerit, effectus erit magnus. Si matutinus ad Solem, celeriter, & ſubito; ſi veſpertinus, tardè incipiet. genus afficiendũ neſcitur ex forma cometæ.

5 Decem ſunt in cometa notanda. videlicet color, magnitudo, ſplendor, forma, diuturnitas, ſitus, locus, motus, habitus ad ✱, & ad ſitum mundi.

De colore cometarum.

ARTIC. II.

1 COlor significat, cum quo Planeta conuenit in qualitate & affectione, vt si obscurus & caluus, dat effectus Saturni: quos superius descripsimus: si albus, Iouis: si rutilus, Martis: si flauus, Veneris: si varius, Mercurij.

2 Semper cometa inhæret decretis Martis, Mercuriíque. Nam etiam cum iouialis est, vtilísque frugibus, & sanitati, indicat simul dissidia in sacerdotio, prælia breuia, febres acutas, principum fastidia. Talis apparuit in Galaxia anno 1533. in ♈ ad Arctos, & secuta est Henrici Octaui Regis Anglorum apostasia.

3 Cometa ♂ immodicas parit siccitates, vt cometa Niphi Insubriam à Ianuario vsque ad Nouembrem pluuia priuauit, parit etiam pestes diras, belláque sæuissima. Horum plurima exempla extant in historiis. Et Haly narrat de cometa in ♌ signo Maurorum, qui prælia, regni occupationem, famem, pestémque illis intulit.

4 Cometa ♀ attonitos dat morbos, paralyses, febres violentas, hæreticos, seditiosos, principes lingua potentes, & seditionem in lege venerea Macometi: vt iouialis in Christiana viuentibus sensu non ratione duce: vt saturninus in Iudaica, & lunaris in gentilismo.

5 Cometa ☿ dat fulgura, tonitrua, terræmotus, ventos grandes, sæuas tempestates, nouas artes, pernicioſas semper humano generi.

De splendore cometarum.

ARTIC. III.

1 SPlendor multus significat efficaces actiones, quas plurimi sponte sequuntur: ideo hæresiarchæ, & inuasores alieni regni, sequaces habent multos. Qui minus splendent, minus efficaces sunt.

De

De loco cometarum.

ARTIC. IV.

1 CIrca locum nota, Primo in terra, vel mari, vel aquis: item in prouincia, ciuitate. Secundò ſtellas, quæ loco dominantur, quia illuſtrant, & iuuant negotium. vt ſi ſtella comata eſt in ♌ iuuatur à ☀. Fuit in anno 1607. in ♌ Imperatoris Rodolphi horoſcopo ſtella ſaturnina mercurialis, quæ ipſum dominio & libertate & tandem vita priuauit, mouente bellum contra eum Matthia fratre, qui nunc loco eius imperat, à Sole eleuatus ad thronum primum. Tertiò nota latitudinem à Zodiaco, nam ſi eſt in ſigno ♈ quod dominatur Germaniæ, & Angliæ, tunc iudicabis ſuper Angliam, ſi eſt latitudo borealis: è contra in Germania, ſi auſtralis. Quartò cum qua erratica fuerit coniunctus corpore, vel radio. Quintò cum qua fixa. Sextò in qua parte cœli: nam in oriente iuuentutem indicat: in M.C. reges, templa, viros: in occidente ſenes, res vetuſtas, mortes rerum, vt dictum eſt de eclipſi. Septimò in cuius angulo ceciderit: ſi quidem, teſte Haly, quando cecidit in angulo ſynodi regni filiorum Aben, obiit illo anno Aben Auezir. Sic in horoſcopo Rodolphi. Octauo quoad figuras octauus orbis locus eſt conſiderandus. velut in ferinis ſignis contra feras, in humanis contra homines: in Argo ſuper naues, vt dictum eſt. quoniam à ſimilibus ſimiles res ſignificantur.

2 Locus cometæ non eſt totum cœli ſpatium: in quo coma protenditur: ſed illud tantum ſignum, in quo eſt cometæ corpus, vnde manat coma.

De forma cometarum.

ARTIC. V.

1 FOrma ſuæ ſimilitudinis habet indicationem: nam ſi formam habet gladij, qualis fulſit in Hieruſalem ante deſtructionem eius à Tito, vti narrat Fl. Ioſephus, bellum indicat, & ♂.

2 Columnaris ♃ refert, & reges, & ſacerdotes occidit.

3 Crinita,parua,verſicolor ☿. Sic bene caudata,lucida : dátque ventos,ſeditiones,hæreſes.

4 Nigra,breui cauda,nullis crinibus ♄ ſterilitatem,bella longa, lepram.

5 Lucida,& vultu quaſi humano ♀ eſt,indicans poſt longas diſcordias,gratum principem,& poſt mala bonum.

De diuturnitate.

ARTIC. VI.

1 DIuturnitas magnitudinem indicat effectus, & ſtatum illius diuturnum.

2 Breuitas durationis è contra. Credo etiam quot menſes durat,tot annos habere in ſignificatione,niſi ab alia conſtitutione impediatur,aut magnificetur.Nam anno 6. à cometa,qui fulſit ab ortu anno 1260. Tartari Aſiam inuadunt.

De tempore effectus.

ARTIC. VII.

1 TEmpus itidem ſignatur,vt in eclipſi,quando apparet,vel in ortu,vel M. C.vel in occaſu.vide quæ ibi ſcripſimus.

De habitu ad ✱.

ARTIC. VIII.

1 SI orientalis à Sole, initium effectus breui incipiet : ſi occidentalis,tardè. idem ſignificat celeritas & tarditas motus.

De Situ.

ARTIC. IX.

1 SItus partem declarat terræ, ad quam cauda cometæ reſpicit.Signum verò terram,& afficiendos:qui ibi habent aphetam,vel aſpicientem.

De motu.

ARTIC. X.

1 MOtus indicat vnde effectus expectandus sit : vt si ab oriente in Septentrionem tardè, ex oriente pestis, aut lex, aut princeps, tardè item perambulat ad borealium vastationem. quemadmodum fuit significatus Tamerlanus, teste G. Trapezuntio.

2 Qui contra ordinem signorum feruntur, semper mutationem legum portendunt: quoniam sequuntur motum primæ sphæræ Cardano, vel potius, quia contra mensuram rerum humanarum quæ subdeficientia caduca reguntur.

3 Dixit Porphyrius : Si ad Austrum tendit cometa, significat pluuias : si ad ortum, pestem : si ad Aquilonem, siccitates : si ad occasum,anni temperiem optimam, & bona multa. nec vacat ratione.

De figuræ erectione in apparitione cometæ, & varia effectione ex illa.

ARTIC. XI.

1 COmeta plus afficit locum, in cuius signo primum apparet,deinde in quo plus splendoris,& virium ostendit : vbi debilitatur, ibi debiliter operatur.

2 Haly obseruat verum initium cometæ, si haberi potest, vel locum,in quo est in prima Luminarium coniunctione vel oppositione post eius ortum, si sciri initium non potuit. Tunc erigit figuram pro illo initio, vel Luminarium constitutione, quadrangularem, & notat omnia, quæ in eclipsi de dominio & mixtura siderum diximus. ibi vide.

Quod cometæ non inaniter putantur afficere res humanas.

ARTIC. XII.

1 NOn modo experientia, sed demonstratiua ratio suadet cometas super inferiora valere plurimum. Cum enim

omnia regantur lucis caloriſque actione; ſitque mundus inſtar horologij benè ordinatus, palàm eſt, quod additio luminis aliquid plus facit, turbátque ordinarias actiones, curſúmque rerum.

2 Data eſſe hominibus etiam tanquam ſigna docent experientiæ. Cur enim in Chriſti ortu cometa tam mirificus effulſit, & in Sanctorum & heroum morte cometæ apparent à ſacris & prophanis ſcriptoribus obſeruati, vt in morte Diui Thomæ, & aliorum. Id notat etiam Calcidicus ſuper Timeum.

3 Non quidem, vt beſtiis ſignificent, efficiuntur, quæ ipſos non conſiderant: neque vt Angelis, meliora ſigna & ſpiritualia cernentibus. ergo vt hominibus, qui corporalia ratione conſiderant.

4 Propterea fiunt cometæ, qui à natura fieri non poſſunt, Angelorum quoque miniſterio, vt fuit in ortu Chriſti, mouens ſe, ſicuti iter Magorum requirebat, & ſtans, vbi oportebat. Item qui per annum durauit in Ieruſalem in forma gladij. Item qui Mexicanis cum duobus capitibus in Hiſpanorum ingreſſu ad ipſos. Caſu autem fieri corpora tam magnà, & tantæ admirationis furor eſt putare: cum præſertim à Sibyllis, nedum à Balaam, fuerint prædicta, vt Thyco etiam memorat de ſtella noua.

De nouis ſtellis.

ARTIC. XIII.

1 STellas nouas fieri negant, quoniam Deus ceſſauit à creatione rerum nouarum: ſed nouæ non ſunt, quæ ex præcedenti fiunt materia opera intelligentiarum.

2 Hipparchus teſte Plinio ante aduentum Chriſti annis 120. ſtellam in cœlo obſeruauit, quæ ſæculi nouitatem ſub Romanis, & aduentum Dei præparauit, & præſignificauit: omnia enim ſentiunt creatorem, ait S. Hieronymus. Vnde & cometes inſolitus natiuitatem ſpecificauit, & Luminarium defectus impoſſibilis mortem.

3 Stella noua ſub Thycone anno Chriſti 1572. apparuit in ſedili Caſſiopeæ ſine crinibus, abſque parallaxi (ergo in ſtellato cœlo in menſe Nouembri facto plenilunio) in die 5. hor. 8. fere poſt meridiem, in 24. ♌, in meridiano regionis, quæ habet longit. 53. & lat. 62. In primo fuit iouialis excedens ſidera primæ magnitudinis

gnitudinis : deinde rufa martialis : tandem fuſca : periit poſt menſes 14. Hanc nihil efficere, nec ſignificare ſtupidi hominis eſt credere. Quapropter totius mundi mutationem expectes licet, quoniam in 8. orbe. & in Æthyopiſſæ ſigno typo Eccleſiæ ſecundum Origenem, & in 6. ♂. ſuper res diuturnas & ingentes indicans. etiam ponenda erat inter cauſas generalium mutationum.

4 Igitur ſtellæ nouæ aliquid maximi pluſquam cometæ indicant, & ſuper omnia : ſed iudicatio facienda eſt iuxta datas regulas eclipſium, addendo id, quod proprium eſt iſtis.

5 De materia & loco cometarum, & ſtellarum nouarum, vide quæſtiones phyſicas.

ASTROLOGICORVM
LIBER TERTIVS.
De mutationibus temporum in elementis.

Dicendum esse de mutationibus elementorum à cœlo, & de effectibus harum mutationum.

CAPVT I. ARTIC. I.

1 SEQVVNTVR iudicia sideralia eorum, quæ eueniunt singulis annis, mensibus, atque diebus, in aëre, aquis & terris, à sideribus: vnde de abundantia & penuria rerum necessariarum, & de morbis, & salute, & peste hominum, & brutorum, prognosticamur. Sunt autem primi effectus, vnde præfati sequuntur, siccitas, calor, frigus, humiditas, imbres, serenitates, nebulæ, fluctuationes in mari, & in aëre, tranquillitates. Qui ista prænouit, & illa facilè præuidebit.

De anno, eiúsque principio, & quartis.

ARTIC. II.

1 QVoniam in exordiis rerum, & causis, latent progressus, & fines, ideo anni exordium prius agnoscere oportet.

2 Circulo constat cœlum, motúsque siderum: idcirco vnum non potest assignari punctum totius principium anni.

3 Sunt puncta quatuor cardinalia, quæ causalitatem sibi vsurpant, non immerito. Videtur quidem Arietis cardo veris esse Ægyptiis anni principium, quod & Moyses admonet, & Virgilius,

& alij multi, quoniam ver calidum est, humidúmque, iuuentuti & initio conueniens, exortum & incrementum plantarum faciens. tuncque dies incipit noctem exuperare. At Græcis Cancer æstatis cardo, principium est anni, quoniam tunc longissimus dies, nobisque Sol propinquissimus. Hebræis autem Libra, autumni cardo, exorditur annum, putantibus mundum maturis cum fructibus natum, & quia tunc fruges veteres condimus, & nouas serimus. Romanis tandem cardo Capricorni celebratur, vt anni principium, quoniam tunc dies & lux incipit crescere, nobísque propinquare.

4 Quoniam autem frequenter cardinalia puncta latent, & ante omnia principia præparationes præcedunt, vtique præcedentes Luminarium immediatè considerandæ sunt oppositiones, aut coniunctiones. ex his enim licet de tota quarta prognosticari, sicut ex cardinibus: singuli autem cardines super suam quartam iudicationem habent.

5 Romani autem, Plinio teste, faciunt quatuor anni quartas ex occasu & ortu fixarum: siquidem cum Fidicula occidit mense Februario, inchoant Fauonij flare dies multos, & aperitur ver, confirmatúrq; emergente zona Orionis: & terra pullulat Neapoli in die 57. à bruma, alibi prius, alibi posterius. Ab æquinoctio verno die 48. ortus Vergiliarum inchoat æstatem, & flant Austri. A solstitio æstiuo die 25. ferè ortus Caniculæ auget æstum, commouet maria, canes in rabiem agit, flant etesiæ, sed postmodum sub occasu Fidiculæ autumnat die ferè 43. ab solstitio, & flat Eurus. Ab æquinoctio autumnali die ferè 46. in occasu Vergiliarũ inchoat hyems, de qua magis prognosticantur ex occasu Orionis, & flant Aquilones.

6 Equidem plurimum posse fixas arbitror suis temporibus: quartas autem à cardinibus certiores esse experior. fixarum quidem ratio diu eadem est, at cardinum variatur fermè semper: neque ortus fixarum ab eorum indicatione prorsus non pendet.

7 Quoniam chronologia nulla certum dat principium mundi & anni, vt alibi probauimus, prognosticabimur à quatuor dictis initiis.

De quartis anni speciatim.

ARTIC. III.

1 OPortet principia quartarum anni obseruare, & figuras erigere, vt in genituris, & præcedentes lunationes, & dominia

ſtellarum in loco cardinis,& plenilunij,vel interlunij præcedentis, & in cardinalibus angulis figuræ. vt dictum eſt de eclipſi.

2 Intenſiones verò & remiſſiones ex dominantium ſtellarum natura, cuiuſque modi, ac conſtitutionis, effectionem illæ habeant perdiſcere oportet.

3 Plenilunium, aut interlunium præcedens,indicat ſuper quartam anni, & omnia plenilunia : ſi præceſſit plenilunium, ſuper menſes : ſi verò interlunium, interlunia. At ſi præceſſit eclipſis, quamuis non immediatè, ipſa iudicabit de quarta; præcipuè ſi eo tempore eius effectus indicatur, vt dictum eſt in ſecundo libro.

4 Fiunt incrementa, & decrementa, à ſequentibus aſpectibus planetarum cum Luminaribus, & cum fixis, & inter ſe, ac iuxta naturam ſigni,& prout concordant, aut diſcordant cum cardinationibus, & lunationibus quartarūm. quæ enim concordant neceſſarium producunt effectum ſignificatum : quæ diſcordant,aliquid vmbratile, vt pro pluuia humiditatem roridam, &c.

5 Quando ſidera conueniunt in natura cum quarta anni, vt ♀ cum vere, ♂ cum æſtate, ♄ cum hyeme, ♃ cum æſtate & vere, ☿ cum autumno, augent decreta illius quartæ : quæ diſcordant, non faciunt, quod pollicetur : neque enim ♄ in Cancro hyemabit, ſed aërem temperabit. ſic dices in regionibus : hyemat enim in Italia, temperat in Numidia.

Iudicium ex quartis anni ſpecialius.

ARTIC. IV.

1 CVm ingreditur Sol aliquod ex punctis cardinalibus, reſpice vbi Luna ſit. Nam ſi propinqua Soli & infra terram, ſiccior erit conſtitutio : ſi remota ſuper terram, humidior : ſi mixta Ioui, aër ſerenus, temperatus,clarus : ſi Veneri, humidus,pluuioſus : ſi Saturno,frigidiſſimus : ſi Marti percalidus,& nebuloſus.

2 Eadem ratio eſt de fixis Lunæ configuratis eo tempore.

3 Conſidera & dominos loci Lunæ, & eorum conſtellationem ex natura, mixtione, & ſignis.

4 Quod ſi cardinis puncta exquiſitè non habes, hæc eadem conſiderabis in præcedenti lunatione; & ego horum certam habeo experientiam.

5 Planetæ retrogradi maximè ſuas vires oſtendunt. citimi enim ſunt terræ.

6 Venus, Mars, & Sol cum partem cardinis occidentalis hora æquinoctij ingrediuntur, maximas aëris mutationes faciunt: itidem Luna cum occurrit planetæ cardinanti in occiduo cardine æquinoctij. sic in cæteris.

De iudicio quartarum anni & mensium, & signorum natura, & fixarum.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 FAc tibi tabulam ortuum & occasuum fixarum in tua regione: & obserua per plures annos quem ventum, aut frigus, aut calorem, aut tempestatem facit singularum ortus, occasus,& ad Solem ratio.& sic poteris per plures annos prognosticari, donec in aliud signum transeant. Requirunt aliqui obseruantiam 30. annorum pro Saturni & planetarum configuratione cum fixis, & earum effectibus perueſtigandis.

2 Signorum proprietates à Ptolemæo sic describuntur.

♈ quia signum æquinoctiale, generaliter est tonitruosum, & grandinosum: particulariter hoc intenditur, & remittitur pro natura errantium in eo. Priores partes,imbres & ventos cient:mediæ temperatæ: extremæ æstuosæ & pestilentes. Septentrionale spatium æstuans & corrumpens: australe glacioſum, & frigidiusculum.

♉ generaliter subcalidum: particulariter priores partes, vbi Vergiliæ, turbulentæ sunt, ventosæ,nubilosæ: mediæ humectantes frigidæque: postremæ, vbi suculæ,igneæ, fulgurosæ, fulminosæ. Septentrionale temperatum. Australe incertum.

♊ vniuersaliter temperatum. In primis partibus humidum corrumpens: in mediis temperatum: in extremis incertum mixtúmque. Septentrionale, ventosum,terram concutiens: australe, aridum, æstuosum.

♋ vniuersaliter serenat & æstuat: particulariter, in principio iuxta Præsepe suffocat, terras quatit, caliginem effundit. Medium temperatum: extremum ventosum. In septentrionali & australi spatio, igneum,corrumpens, æstuans.

♌ vniuersaliter æstuat, suffocat: particulariter principium suffocans & æstuans. Medium habet temperatum, finem siccum. A Septentrione instabile igneúmque: ab Austro humidum.

♍ vniuerſaliter humidum, tonitruoſum: particulariter in principio calidiuſculum, corrumpens: in medio temperatum: in fine ventoſum. Septentrionale ventoſum: auſtrale temperatum.

♎ vniuerſaliter varium, mutabiléque: particulariter in principio, & in medio, temperatum: in fine aquoſum. Septentrionale ventoſum: auſtrale ſiccum, ac peſtilens.

♏ vniuerſaliter tonitruoſum, igneum: particulariter in principio ningit: in medio temperatum, in fine æſtuoſum. In ſeptentrionali æſtuat: in auſtrali parte humectat.

♐ generaliter ventoſum: particulariter in principio humidum: in medio temperatum: in fine igneum. Ad Septentrionem ventoſum: ad Auſtrum humidum, variabile.

♑ generaliter humidum: in principio æſtuans, & corrumpens: in medio temperatum: in poſtremo pluuioſum: in boreali & auſtrali parte humidum corrumpénſque.

♒ generaliter frigidum, aquoſum: particulariter in principio humidum: medio temperatum: fine ventoſum. Septentrionalia æſtuántia: auſtralia eius niuoſa.

♓ generatim frigidum, ventoſúmque: ſpeciatim in principio temperatum: in medio humidum: in fine æſtuans. ſitus borealis ventoſus: auſtralis aquoſus.

Examen decretorum Ptolemæi de natura ſignorum.

ARTIC. II.

1 HÆc habemus ex Ptolemæo de ſignorum proprietatibus, in quibus ad duo videtur reſpexiſſe: videlicet ad Solis effectiones, in ſingulis ſignis, & hoc quoad generalia. Reuera enim in ♏ tonat: in ♐ ciet ventos: in ♓ pluit, &c. quoniam vires Solis relatæ ad climata noſtra ſic ſe habent, vt vbi vicinus, immittat feruorem; vbi remotus, vapores craſſos facile in humorem conuertibiles; in mediis diſtantiis vapores mediocres, ex quibus fiunt venti, vt diximus in Phyſiologia. Secundò reſpexit ad particulares naturas ſtellarum in ſingulis ſignis. Propterea enim ♋ principio ſuffocationem dat, quoniam ibi erat Præſepe: & primis partibus ♉ turbulentiam nubis, & ventos adſcribit, quoniam ibi erant Vergiliæ. Et ſic facit in ſpecialibus decretis ſpeciales ſtellas, & earum effectus, conſiderando.

2 At quidem videtur Ptolemæus deliquiſſe dupliciter. Primò

quoniam

quoniam non vbique ista signa, quæ descripsit, effectus pariunt: sed aliter se habent ex diametro vltra æquatorem ad Austrum: aliter sub æquatore:aliter sub polis.Doctrina ergo est insufficiens. Secundò errat, quoniam fixæ, transeunt de signo in signum, & quæ sub Ptolemæo erant in ♈,nunc sunt in ♉; quæ in ♉, nunc in ♊. Quapropter ex stellarum proprietatibus non tradit perennem Physicam,sed fortasse in generalibus tantum,quod expositores non satis intellexerunt.

3 Respondet Cardanus hanc doctrinam esse perpetuam, quoniam istæ proprietates in nono orbe describuntur (quem nos nullum esse dicimus, sed solum spatium non stellatum) putátque etiamsi stellis careat per se,& quia migrant de signo in signum,remanere impressiones ab octauo orbe sub Ptolemæo impressas in nono:& sic certam fieri philosophiam.

4 Sed nimis hallucinatur homo sapiens. spatium enim illud expers est passionis nobis. Cœlum verò in spatio similiter Ptolemæo sequenti Aristotelem, qui introduxit quintam inalterabilem naturam.At esto quod stellæ imprimant in cœlo calorem & lucem tunc quando migrant,& aliæ succedunt, calor prior & lux migrabit:vel,si remanet,ab alio aduenientium stellarum trahitur in aliam temperiem,& vires.Non ergo facient,signa, quod prius. Profectò nec tellus à calore affecta alterius calo is aduentu eosdem effectus edit.quantò minus cœlum aut spatium immutabile?

5 Nos igitur satisfecimus ad primum,cum in opposita signa virtutes generales sub antarctico hemisphærio transtulimus, & cum sub æquatore Planetarum domos distinximus, & sub polis aliter atque aliter circa particulares virtutes consimiliter philosophamur. Nunc stellæ martiales in æquatore æstum dirum faciunt: in subpolaribus minus caloris: in mediis mediocriter. Sic dices de saturninis,& iouialibus, pro ratione. Item pro natura Planetæ dominantis in singulis climatibus vires generales atque speciales modificari contendimus. Aliter enim in medio iouiali climate turbant Vergilię inferiora,hoc est modicè,& temperatè:sub venereo nimis flant: turbántque sub martiali, & procellas addunt, & fulgura: sub saturnino grandinabunt, tonabunt. hoc autem ex obseruationibus in singulis regionibus quasi in tabella poni debet, vt dictum est. Proptereáque in aliis signis etiam aliter afficient.

6 Ad secundum respondemus,naturam omnium signorum circa

ſpecialia haud perſeuerare, ſed circa generalia tantum. Sic enim nunc Sol facit ver,& veris proprietates in ♈,vt olim in ♈: & æſtatem in ♊, vt olim in ♋. ſic de cæteris.Proprietates autem quartarum anni à Sole fiunt: à Planetis & fixis modificantur. Propterea igitur dicam circa ſpecialia variatam eſſe naturam ſignorum. Non enim Aldebaran ita obnubilat, turbátve cœlum, nunc in 5. ♊, vt olim in 7. ♉: quia generaliter ♉, propinquior hyemi, frigidior erat ♊, qui plus æſtatis habent. Ergo calor ex Aldebaran plus attenuat aërem & nubes. Cum ergo prognoſticamur,hoc attendere debemus,vt augeamus vires fixarum, vel minuamus,prout in ſignum calidioris temporis, vel frigidioris,tranſierunt, aut temperemus. Itémque prout concordat magis, vel diſcordat ſignum ſequens.

Prognoſtica ex quartis anni: & prius de vere.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 SIgna multæ humiditatis in vere habita ex ingreſſu ☀ in ♈, & ex præcedenti lunatione,& fixarum exortu,ex parte, decernunt putredinem fructuum, & herbarum copiam inutilium. Item ſi præceſſit hyems frigida,& ver pluuioſum, in æſtate febres & lippitudines exuberabunt,dum humores incaleſcunt concepti, & ſoluuntur,magis autem ſi & in æſtate pluet.

2 Signa caloris multi citam floritionem & fronditionem, fructus ſpecie pulchros, non autem ſapore & odore: item acutos morbos.

3 Signa frigoris & ſiccitatis ſignificant pruinam caſuram in nouilunio ſub fixarum exortu,vel in cardinatione. Et fient pauciſſimi fructus & nihil vini:& quidem ſi hyems auſtrina præceſſit, etiã humores craſſi ab hyeme, congelantur in vere, qui liqueſcunt ab æſtate. Vnde raucedines, & bilioſis lippitudines,& mulieribus dyſenteria,ſenibus ſtupor ſequitur.

4 Signa ſiccitatis dant paucos fructus & bonos, & nullum frumentum.

5 Signa frigiditatis fructus ſerotinos,& vt dictum eſt.

De æstatis prognostico.

ARTIC. II.

1 ÆStas pluuiosa æstiuos fructus putrefacit, inopiam frumenti facit, morbos pestilentes, catarrhos suffocatiuos, dolores oculorum, fluxus alui.

2 Æstas siccior penuriam dat frumenti, fructus æstiuos salubres, mortem piscium, acutissimos morbos, præsertim bilioſis, insaniam, & aridam lippitudinem.

3 Æstas calidior morbos acutos multósque, copiam fructuum æstiuorum, febres ardentes, deliria.

4 Æstas frigida incolumem annum, fructus serotinos.

Autumni prognosticum.

ARTIC. III.

1 AVtumnus humidior putrefacit vuas, vináque facit vere deprauanda: & sequitur in futuro anno frumenti penuria. Item rheumata, & quartanæ. Et si præcessit æstas borealis, dabunt simul hyemem morbificam cum dolore capitis, tusses, raucitates, tabes, qui humores multi collecti, sunt abhyeme aucti.

2 Si siccior, erit penuria milij: & si præcessit etiam sicca æstas, bona valetudo erit pituitosis & mulieribus: at bilioſis infesta, cum mania, delirio, &c.

3 Si calidior, morbosus, & malus. Vina dulcia erunt omnia ferè, citò matureſcent oleæ, castaneæ, glandes, myrti, herbáque multa.

4 Si frigidior, iactura fiet autumnalium fructuum in copia, gratia, & sapore: & herba modica, oleráque vsuaria dura, pabula arentia, cruditas, assideratio.

5 Post hyemem borealem, & ver australe, & siccam æstatem, sequi solet Autumnus pernicioſus omnibus, præsertim pueris, & in ventre cruditates, & in capite lippitudines, & in pulmone excrementa.

Progno

Prognoſticum hyemis.

ARTIC. IV.

1 HYems frigidor & ſiccior laudatur. frigidiſſima occidit arbores calidas natura, & feras, pecudes, ficus, perſica, citrea : ſi plus ſæuiet etiam oliuas, chryſomela, ceraſa.

2 Hyems calida humidáque inſalubris, ſegetibúſque inimica, plena doloribus articulorum, exuberantibus motíſque humoribus. Herbis abundabit inutilibus. Olera erunt multa, & piſces. Florebunt citò plantæ, præſertim amygdalę. Quod ſi frigus ſequetur, flores arebunt, ſterilíſque ſequetur annus.

Appendix variorum prognoſticorum in quartis anni.

ARTIC. V.

1 OMnis immodica intemperies, mala : item peruerſio temporum : item nimia æqualitas : item inæqualitas multa.

2 Ventorum multitudo, noxia fructibus, paucitas ſegetibus. Tranquillitas totius anni peſtilentiam ſolet afferre, quoniam calor perſeuerans fuliginoſos vapores accumulat.

3 Synodus Luminarium in æſtate calidior, quoniam tunc nobis imminent ſimul: ſed in hyeme calidior eſt oppoſitio : tunc enim Luna nobis culminat.

4 Idem dico de Planetis calidis, & contrarium de frigidis.

5 Galaxia ad fruges lacteo humore ſcatet, tranſit per ♑ & ♋. ibi Aquila borealis, & Canicula auſtralis, ſunt in commiſſuris. In horum ſiderum exortu, ſi ſit plenilunium in æſtate ſolum, in nocibus ſerenis, & interlunium in hyeme, carbunculus, & vredo, & rubigo fit, algente Luna, & amaritudine replente lacteum humorem, enecátque vt puerperium conſequentes fruges, ſeu hybernas, ſeu autumnales.

6 Idem ſi accidat in exortu Vergiliarum, oleas, & vites perimit, teſte Democrito, præſertim ſimul Arcturo occidente.

7 Idem

7 Idem euenit in exortu veſpertino Aquilæ, & occaſu, ſi fiat plenilunium.

8 Cum maleficæ præſertim ſimul ſigna borealia obtinent, magis autem cardinalia, ac Sole cardines intrante, fit penuria frumenti,& omnium bonorum terræ in regionibus ad Arcticum ſpectantibus:magis autem ſi in ☋. vbi vtraque cadit. è contra in Antarcticis vbi obtinent ſigna auſtralia.

9 Similiter dum beneficæ culminationes faciunt in ſignis borealibus bona terræ augent nobis : è contra auſtralibus , his qui vltra æquatorem. Temperauit Deus mundum , ne ſemper bona omnibus exuberarent. Vidimus præteritis annis dum ♄ ex ♈ in ♎ meauit, annos ſteriles: dum ex ♎ in ♈ abundantes.

10 Dum retrocedunt Planetæ omnes in hyeme, qui ſunt telluri propinquiores, & diutius imminent, fit hyems percalida: æſtas verò feruida, ſed prout retrocedunt : ſemper enim in oppoſitione Solis. Ideo in hyeme in zenith : in æſtate verò elongantur. addunt tamen ſemper calorem cum præſertim plures retrocedunt.

De menſium prognoſticis.

CAPVT. IV. ARTIC. I.

1 POſtquam de anno & eius quartis prognoſtica peregimus, nunc de menſe dicere oportet, qui quartam ſingulam ſequitur.

2 Menſis conſtitutio ex interlunio ſequenti quartæ cardinationem, ſi præceſſit interlunium, vel ex plenilunio ſequenti, ſi præceſſit plenilunium, introitum Solis in cardinale ſignum,in primis attendenda. ſignificat enim ſuper totum menſem.

3 Conſiderandi ſunt & anguli ſequentes locum interlunij, vel plenilunij, & ſtellæ dominantes in loco cardinum, ſeu angulorum,& interlunij,aut plenilunij.

4 Item applicationes, & defluxiones Planetarum,& eorum proprietates.

5 Nec non & locorum.

6 Et quos ventos quæque ſtella, & quæque pars ſigni, in quo ſunt,excitat.

7 Item in qua latitudine est Luna. Ex his omnibus misce iudicium.

8 Ergo primò consideratur natura loci cardinis & Luminarium: vt si mobile, fixum, commune, vernale, æstiuum, &c. & qualitas signi & partis & latitudinis. Secundò natura stellarum dominantium in loco Luminarium, & cardinum, vel applicantium,& defluentium. Tertiò quos ventos cient. vt ♄ orientales,♂ occidentales, ♀ australes, ♃ boreales. Quartò trianguli signorum: nam primus mouet ventos inter Septentrionem,& Occidentem: secundus inter Orientem & Austrum: tertius inter Boream & Orientem: quartus inter Occasum & Austrum. Quintò inclinatio Lunæ ad Boream vel Austrum, & pro regionis qualitate: nam Boreas Lybiæ calidus, nobis frigidus.

De quartis mensis.

ARTIC. II.

1 HAbet mensis sicuti annus quatuor quartas, non ex signis, sed ex aspectibus ad Solem. Luna enim ad Solem, est mensis ad annum.

2 Habet intensiones, & remissiones, ab initio vniuscuiusque quartæ, donec mutetur aspectus: sed omnis quartæ principium indicat super totam, vt Solis cardinationes in quartis anni. Cæteri aspectus augent, vel minuunt, vt lunationes in quartis anni.

3 Ergo non modò singularum quartarum status, sed & sextiles, & trigoni, sunt considerandi. In celeribus verò negotiis etiam duodecimus aspectus, & octagonus non spernitur, vt in primo libro scripsimus.

4 Item aspectus Planetarum: etenim ex horum natura proprietas effectus deprehenditur, respondens familiaritati stellarum aspicientium, & signorum, erga aërem ac ventos. Sæpissime verum, quod Luna aspiciens aliquam stellam in synodo, aut diametro, producit eundem effectum, cum in eiusdem stellæ aspectum alium deuenit, quem à principio, nec nisi noua longè fortiori constitutione fallit.

5 Præterea considerandi sunt tres dies ante vel post syzygiam. hi enim sunt indices omnium tempestatum. Quippe qui

Lunam

Lunam cum aliquo Planeta configurant, indicante mutationem, quam ſyzygia in actum deducit. Tunc autem Luna diſtat à Sole octagono aſpectu.

6 Primò igitur conſideratur Luminarium congreſſus. Secundò dies quarta antè vel poſt, & tunc ſitus Lunæ ad Planetam, & latitudo. Tertiò aſpectus trigonus, & ſextilis, qui poteſt ſuper ſequentes dies: ſed ſi ſunt fortes, poteſt ille ſuper decem, iſte ſuper quinque. Deinde quartò quandoque quarta ſequens. Quintò ſyzygiæ Planetarum inter ſe, & cum Luminaribus in quatuor punctis menſis.

7 Quo pacto Luna in quatuor quartis ſuis quatuor anni tempora æmuletur in quatuor qualitatibus dictum eſt prius.

8 Quod lunatio ſuper terram plus poſſit quàm infrà notificauit eclipſis.

De dierum prognoſticis.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 DIurnæ intenſiones,& remiſſiones habentur ab ortu & occaſu fixarum matutino,veſpertinóque, quo particularem ſtatum ad ſui naturam plerunque conuertunt. vt occidentibus Vergiliis flat Africus ſequenti die. Eteſiæ autem octo dies ante Caniculã, & durant diebus quadraginta:& poſt hos Auſtri vſque ad ortum Arcturi: poſt hunc Eurus: Fauonius autem in Fidiculæ occaſu ver aperit,perſeuerátque diebus octo,vt ſupra.

2 Ortus mãtutinus eſt fortior,deinde veſpertinus, deinde occaſus matutinus,& tandem veſpertinus.

3 In diuerſis regionibus diuerſa operantur, & diuerſo tempore, quoniam alij ſunt horizontes: nec in eadem ſemper idem ob aſpectum Planetarum alium. Item quædam vno die,quædam pluribus poſſunt,vt Canicula 30. Arcturus 10.

4 Planetarum ſyzygiæ mutant dies.

5 Cum Luna ad horoſcopum plenilunij vel interlunij peruenit, mutatur aër plerunque.

6 Item cum peruenerit horoſcopus plenilunij,vel interlunij,per directionem ad Planetam in illis dominatorem,largiendo 13.gradus,& m.11.pro vnoquoque die.

7 Ingreſſus Planetarum in ſigna ſui caſus tempora mutant.

8 Coitus multarum ſtellarum & cum fixis præſertim in aſpectu Luminarium, & horum configurationes, neceſſariò tempus mutant.

Prognoſticum ex ſyzygiis planetarum ſpeciatim: & primo ex ♄.

ARTIC. II.

1 SAturni cum ♃ coniunctio pro qualitate ſignorum & ſtellarum pluribus diebus afficit aërem ſerenitate, vel pluuia, vel ventis: præſertim conſenſu Luminarium. At in oppoſitione minus. In quadratis minus. In trigonis minus. In ſextilibus minimum.

2 Saturnus & ♂ pro ſignorum tribus diebus ante, & tribus poſt, natura: ſed propriè grandinant. & graduabis aſpectus, vt ſuprà.

3 Saturnus cum ✷ coniunctus, vel oppoſitus, vel quadratus perſæpe grandinat: ſed ſemper paucis diebus infrigidat aërem, magis minúſque pro qualitate ſignorum.

4 Saturnus cum ♀ coniunctus imbres & frigora dat propriè: ſed tamen pro qualitate ſignorum, & temporis quarta. ſemper hoc intellige, & aſpectus gradua.

5 Saturnus cum ☿ pro ſignorum qualitate operatur, cum ſit ☿ anceps: ventos tamen frigidiuſculos expecta pro tempore, & lunatione.

6 Saturnus cum ☽ ſemper infrigidat, & pro tempore pruinam & gelu, vel res multum, &c. prognoſticaberis.

Ex ♃.

ARTIC. III.

1 IVpiter & ♂ coniuncti propriè pluuias, fulgura, & fulmina: ſed pro qualitate ſignorum, & propinquitate, & conditione, & configuratione.

2 Iupiter cum ✷ ſtatus pulchros, & ſerenitates perſeuerantes, niſi ſubſequentes aliæ conſtellationes impediant. Sed graduabis aſpectus.

3 Iupiter cum ♀ ſerenitates facit, & in ſignis aqueis mites pluuias, & rorem.

4 Iupiter cum ☽ per ſe ſerenat, & ventos facit: ſed pro ſignorum qualitate.

Ex ♂.

ARTIC. IV.

1 MArs iunctus cum ☀ in aqueis imbres, tonitrua, & fulgura dat: ſed pro tempore & ſignorum proprietate, & aſpectus fortitudine.

2 Mars iunctus cum ☿ ventos cum impetu: ſed pro ſignorum qualitate.

3 Mars cum ☽ per ſe nubes rubras dat: ſed pro ſignorum qualitate, & ſtellarum, quibus Luna applicat.

Ex ♀

ARTIC. V.

1 VEnus cum ☀ humidum tempus. reliqua pro qualitate ſignorum.

2 Venus cum ☿ ventos auſtrales: ſed pro qualitate ſignorum.

3 Venus cum ☽ proprie imbres & frigora: ſed pro ſigno & tempore.

Ex ☿, cum quibuſdam notandis.

ARTIC. VI.

1 MErcurius cum ☽ pro qualitate ſigni.

2 Iudicamus ex Luminarium congreſſu, ſicut dictum eſt, neque enim vnum ſignificant.

3 Planetæ abſque fixis, vel tribus ſuperioribus, parùm mutant, exceptis Luminaribus.

Prognoſticum ex apertione portarum.

ARTIC. VII.

1 APertio portarum dicitur ab Aſtrologis, cum planetæ qui habent domos omnino oppoſitas copulantur, vel con-

figurantur: cum enim sint oppositæ naturæ & conditionis aliquid noui efficiunt in inferiora.

2 Igitur apertio portarum triplex est. Prima Solis & Saturni. Secunda Iouis & Mercurij. Tertia Martis & Veneris.

3 Prima infrigidat aërem, turbátque omnino. Secunda ciet ventos. Tertia imbribus & fulgure celebratur.

4 Tribus fit modis apertio portarum. Primò quando planetæ dicti coniunguntur, aut opponuntur, aut quadrantur. Secundò quando aliis aspectibus, & antiscis; vel aliorum communione communicantur. & hæc minor. Tertiò quando Luna applicat superiori separata ab inferiori. præsertim si superior & inferior sese aspiciant. Vt ♄ existente in 29. ♒, & ☀ in 27. ♏, & ☽ in 27. vel 28. ♌, est apertio portarum maxima, præsertim in stationibus. itidem in eodem signo.

De horis dierum prognosticum.

CAPVT VI. ARTIC. I.

1 SIcut sæculum in quatuor trigonos, & annus in quatuor quartas, & mensis in quatuor partes cardinales: sic dies in quatuor diuiditur quartas correspondentes anno & mensi factas in quatuor cardinibus. videlicet mane, meridies, serò, media nox, in quatuor angulis accidentalibus.

2 Sub æquatore vnus idémque ventus flat ab ortu in occasum circulariter nocte ac die, quoniam Sol suo calore sic circumducit aërem, & aquas maris. paruæ varietates fiunt in extremis.

3 In quatuor quartis Sol sexhoraria diuisione 24. horarum tumefacit maria: quoniam vbi præsens est calor æstuat, & crescit aqua, & per latera diffunditur: & in opposito puncto occursantes, eleuantur, vt simul sub præsentia & absentia Solis fiant eleuationes, vti in olla bulliente eleuatur aqua igni proxima, & quæ remotissima ad ansas simul, in lateribus verò deprimitur. Cumque Sol mutat quartam fiunt eleuationes & depressiones subsequenter vsquequo perficiatur circulus.

4 Non est Luna causa horum motuum, vt Ptolemæus putat, cum non tantum possit, præsertim in synodis, priuata lumine, & in oppositis punctis: sed Sol. Luna autem motum regit Oceani

crescentis

crescentis quindenis diebus, vti Luna, & totidem decrescentis. vide nostram Physiologiam.

5 Sicut Sol facit in mari sub æquatore, ita in aëre. & sicut fit incrementum & decrementum sexhorarium in mari: ita in aëre: & varietates aliæ ex planetarum mixtura suboriuntur, & fixarum. Palam enim manè flat aura ab angulo orientali, Sole vapores in aërem attenuante, & in feruorem agente. Similiter in sero ab occasu ad nos, & ad Antipodas. In meridie verò quiescit aër, quoniam in eo est principium centrale feruoris, non fuga aëris feruentis: & in mari excitatur æstus, quoniam directus Sol plures generat vapores.

6 Extra tropicos verò fiunt venti pro accessu & recessu Solis consimiliter.

7 In angulis autem, pro Lunæ latitudine ad Boream, & in Austrum, dicit Ptolemæus. at si Luna est sub terra quid potest? fortè dum super terram inclinat vaporem solarem ad suam latitudinem, vel ex sua impellit, addendo attenuationem & feruorem.

8 Videtur perseuerare constitutio sexhoraria, vt sicut cœpit dies in ortu Solis, ita duret vsque ad mediam noctem: ex media nocte ad mane.

9 Configuratio planetarum in his cardinibus, & fixarum, variat diem secundum sui naturam. Est enim ♄ frigiditatis, ♃ & ☿ ventorum, ☀ caliditatis, ♂ imbrium cum tonitru, fulgure, coruscatione, & grandine: ☽ hæc omnia defert.

10 In planetarum congressibus superior est qui plus dignitatis habet in loco coniunctionis, magísque conuenit cum stellis iuxta positis. Secundò qui plus in cardine sequenti. Tertiò velocior motu. Quartò proximior angulo. Quintò qui latitudinem habet borealem nobis, australem australibus. Sextò qui valet plus in loco Luminaris super terram positi.

11 Considerandæ sunt simul primo generales causæ priores, ac posteriores, deinde particulares. Tunc enim effectus certus & magnus, cum generales specialibus conueniunt idem significantibus. Incerti & parui, cum non concordãt. iudica secundum vincentem.

12 Igitur prius considera sub qua triplicitate & anomalia sumus: secundò eclipses & cometas præcedentes: tertiò quartam anni, in quo sumus: quartò proprietatem mensis: quintò quartam mensis: sextò proprietatem diei: septimò sexhorariam cardinationem.

13 Gene

13 Generalis cauſa vna fortior eſt, quàm particularis vna, ſed non quàm multæ. ſic iudicium Aſtrologi requiritur.

14 Succedit planeta alteri in dominio, quando vterque eſt dominus, ſed alter fit inhabilis ob combuſtionem, vel non eſt in loco aphetico. ſed pro combuſto planeta Sol præſidet ſuccedens illi in ſignificatu.

Prognoſticandum inſuper ex accidentibus inferioribus ad ſuperiora ſidera collatis, tanquam ex ſignis & concauſis temporum.

CAPVT VII. ARTIC. I.

1 POſtquam de ſiderum effectione, ac ſignificatione, locuti ſumus, reliquum eſt, vt de cauſis & ſignis ab illis ſequentibus, éxque inferioribus concauſis, conſideremus.

2 Prognoſticum ex facie cœli non modo naturalis ſapientia, ſed etiam Dei Sapientia incarnata in Euangelio approbauit. igitur de his ſigillatim dicere non grauemur.

Prognoſticum ex inferioribus à Sole.

ARTIC. II.

1 SI Sol oritur, aut occidit expers caliginis, varietatis, nubium, ſpondet tempeſtatem ſerenam diei, aut noctis.

2 Si varius, flammeus, rubentes iaculans radios directos vel refractos, item parelios in nube formauerit, & ſubrubras nubes fecerit, tunc vehementes ventos ſignificat pro his angulis, quos reſpexerint viſa illa.

3 Item Sol lucidus, aut niger, oriens, vel occidens, ſi quoque nubibus inuoluatur, aut area cingatur, aut nubes illæ ſolares vtrinque aderunt, & radij ſubpallidi, aut nigri, minatur hyemes & imbres.

4 Circulus circa Solem, ventum minatur, vnde circulus rumpi cœpit.

Ex Lunæ accidentibus.

ARTIC. III.

1 NOtant alij quartum, alij tertium diem poſt ſynodum Luminarium, putantes qui venti & tempeſtates tunc incipient, duraturos eſſe per totum menſem, vt Virgilius canit. Sed reuera vix ad quartam menſis producitur talis conſtitutio, niſi ſit fortiſſima, & à ſequentibus non impediatur, & dignificetur à cardinali lunatione. Omnes quidem intelligunt, quo primum tempore Luna apparet ſuper horizontem: & quoniam iuxta ſignorum tortuoſitatem, aut rectitudinem, & ipſius Lunæ velocitatem, & tarditatem fit, vt eodem die ſynodi appareat: propterea oſtenta eius intelliguntur à die apparitionis, quamuis primus ſit: ſed effectio à primo obuiante illi planeta, vt dictum eſt prius.

2 Luna tribus diebus ante vel poſt ſynodum, plenilunium, & quadratum, puræ tenuíſque lucis ſerenitatem dat.

3 Si nigra fuerit, pallida, ac ſpiſſa, imbres ac hyemes minatur.

4 Si tenui rubet tunc luce, & perſpicuus orbis eius apparet, etiam qua parte non illuſtratur, & tremere videatur, ventos ciet declinationis ſuæ, & latitudinis.

5 Hoc idem iudicium eſto in interluniis, & pleniluniis, & quadratis.

6 In exortu & occaſu horizontali Lunæ idem obſeruabis, & iudicabis, quod in ortu & occaſu Solis.

7 Præterea ſi quinta Luna habet cornua obtuſa, dat pluuias: ſi aucta multáſque acies, ventos boreales, ſi cornu boreale eſt ſic acuminatum, auſtrales, ſi idem cornu in Auſtrum contorquetur. cornu etiam idem ſignificat, quod diximus de tota, &c.

8 Si area vna cingit Lunam paulatim euaneſcens, exiliſque, ſerenitatem ſpondet. Si duæ aut tres, hyemes. Quæ ſi etiam ſint ſubrubræ, & præruptæ, indicant ſimul ventorum turbulentias: ſi caliginoſæ ac ſpiſſæ ſimul, niues: ſi luridæ, nigræ, ac laceræ, vtrumque ſignificant, eóque vehementiores, quo maiores.

9 Obſeruabis etiam Lunæ non modo quadrata, ſed trigonos, & ſextiles, & configurationes cum planetis: & tunc aſpice cornua eius, & areas, & colores inter album & nigrũ. Sic enim ad pluuias, & ſerenitates, & intermedias tempeſtates, iudicando peruenies,

si quæ diximus in phyſicis de coloribus ſignificantibus plus minúſque materialitatis, & luciditatis, memoria tenes.

Ex fixarum accidentibus, erraticarúmque ſtellarum.

ARTIC. IV.

1 ARea circa ſtellas fixas & errantes iuxta coloris proprietatem portendit effectus, quos tales ſtellæ natura ferunt. Vt, ſi rubra, effectum Martis: ſi lurida, nigráque, Saturni: clara, Iouis, &c. At verò area iouialis in ſtella ſaturnina effectum miſcet & iudicium. ſic de cæteris.

2 Fixarum quaſi turbulos aſpiciemus quo colore & magnitudine videntur. Si ſplendidiores, & grandiores ſolito apparent, quacunque luxerint, inde ventos concitant.

3 Nebuloſæ ſtellæ, quæ in Galaxia, & in Orione, & præcipuè in Præſepi, ſi ſereno cœlo exileſcunt, vt viſum effugiant, aut ſat denſæ, vt nec videantur, nimbos: ſi puræ & vibrantes, ventorum turbulentiam ſpondent.

4 Si Aſinus boreus non apparet, ſpirabit Aquilo: ſi auſtralis, Auſter.

5 Idem dicito de ſtellis cæteris paruis, propinquis. Si enim occultatur auſtralior, vel borealior, vel orientalior, vel occidentalior, vel intermedia, inde ventus exurget, aut nimbus. quoniam vapor exilis ventoſus adimit viſum eorum, & talem in ſitum extenditur, vel craſſus ſurgit.

6 Nil mirum ſi nebuloſæ nebulas trahunt, quamuis ſint greges occultarum ſtellarum, vt patet per Teleſcopium. Nam lux earum exilis apta eſt talibus vaporibus: ſicut aliarum ad aliud genus. Prognoſticum ex colore & diſpoſitione hinc comprobatur, cum nebuloſæ potius quàm aliæ ſic ſignificant.

Ex Iride.

ARTIC. V.

1 ARcus quocunque tempore extiterit, ſi ſerenum ſit, hyemes; ſi hyemet, ſerenitas expectanda eſt. Vnde Deus poſt diluuium arcum oſtendendo ſaluationem à diluuio pollicetur Noë. non tamen ab omni pluuiola: ſiquidem nubes denſiſſimæ,

multæ

multæque ex quibus diluuium fit, tollunt, non tingunt lucem.

2 Arcus à meridie pluuias ingentes: ab occaſu etiam cum tonitruis: ab ortu in ſero ſerenitatem dat.

3 Quo viridior arcus, eò magis pluuias; quo rubrior, eò magis ventos ſignificat.

4 Duplex arcus dat pluuiam ante, ſed poſt ſerenitatem non durabilem.

De oſtentis cæli.

ARTIC. VI.

1 OStenta, quemadmodum crinita ſidera, ſemper ventos & ſqualorem prænunciant, eò vehementiores, quò grandiores ſunt, & pluribus in partibus apparent. eſt ſqualor praua ſiccitas herbarum, & inferiorum flaccеſcentium.

2 Diuiſiones, & iaculationes ſtellarum cadentium, ſi ab vno angulo mundi prorumpant, inde quoque ventum emittunt: ſi à contrariis, prælia ventorum ſuſcitant: ſi de quatuor plagis ruant, hyemes ferunt, fulmina, tonitrua.

3 Si tempore ſereno fulgurauerit, pluuiam, frigus, ventúmque expecta: ſed magis ſi ex omni plaga cœli.

4 Tonitrua matutina ventum, meridiana pluuiam plerunque nunciant.

5 Tonitrua æſtiua ventum magis, fulgurationes magis pluuiam indicant.

6 Nota quod ſignificata oſtentorum in temporibus ſingularibus ſunt ſimilia ſignificatis eorundem ſuperius explicatis in materia & diſpoſitione.

Ex nubibus.

ARTIC. VII.

1 NVbes per aërem ſerenum ſubito currentes indicant ventum vnde excurrunt: ſed pluuioſum, quæ ab Auſtro, cæteræque pro regionis natura.

2 Nigriores, & denſiores, aquoſæ ſunt: albæ, calidæ totum vndique cœlum occupantes, ſequente frigore, niuem dant; rubræ ventos: ſed exiles ſerenitatem.

3 Nubes alba, vnita, denſaque ſi tonuerit, grandinabit.
4 Nubes occupantes verticem montium, frigus: è montibus defluentes in valles, ſerenitatem. montium iuga ſerena idem pollicentur.
5 Nubes ſimiles floccis lanæ nonnunquam hyemes afferunt.
6 Murmur in ſiluis ſubitus & in mari, præſertim ampullis multis apparentibus, ventos & pluuias prænunciant.

Ex corporibus aliis: & primo ex igne.

ARTIC. VIII.

1 TRahuntur & ex inferioribus rebus ab aëre per ſtellas mutato affectis præſagia multa. Ignis enim pallidus, ſcintillans, & plus iuſto ardens, pluuiam ſignificat: à vapore enim craſſo pluuiali ſic afficitur, conſtipatur & augetur robore.
2 Fungus in ardente lychno idem dicit.
3 Et cinis ſponte concretus.
4 Vndatio flammæ & ignis crepitatio ventum.

Ex aquis.

ARTIC. IX.

1 MAre poſt refluxum mugiens ſereno tempore, & in ripis fluuiorum, & maris rumor, & ampullæ multæ, ventos & pluuias indicant.
2 Aqua ſcaturiens vbi non ſolet, aut abundantius ſolito, & calidior ſolito in ſtagnis non percuſſis à Sole, & quæ ſtatim euaneſcit poſt pluuiam areſcente Sole, ventos & pluuias indicat.
3 Idem veſtimenta madida & ligna tumentia, vt opercula lignea non poſſint ſolita intrare foramina, & fœtores inſoliti cloacarum, & rumor ventris canum, & dolor hernioſorum & veterum cicatricum, pluuias indicant, vel humidum frigidúmque tempus.

ASTROLOGICORVM LIBER QVARTVS.

De Natiuitatibus.

Cur iudicium de vita & morte ex puncto natiuitatis sumitur ab Astrologis.

CAPVT I. ARTIC. I.

1 DE his quæ eueniunt singulari homini iudicia hæc manent, postquam de his, quæ eueniunt nationibus,& de temporum mutationibus,dictum est.

2 Quoniam progressus atque fines latent in causis suis & exordiis : quæ autem causæ fuerint in hominis exordio, quod est conceptio,nos latet ; ex his,quæ in natiuitate, iudicabimus de hominis vita,fortuna,& morte.

3 Natiuitas non est causa,neque simillimam efficiendi cum conceptione potentiam complexa est, vt dixit Ptolemæus : neque est principium hominis,vt illa embryonis, vt aiunt. Potius enim animatio,si fit facta organizatione, principium esset hominis, quàm natiuitas.Sed est initium vitæ per se existentis & non cum alio.Neque hoc initium causat aliquid : sed quæ causæ in eo reperiuntur in cœlo indicant se ipsas priores, & suscipiunt gubernatum vitæ posterioris.

4 Palam est enim, quod Iupiter in horoscopo non facit album nascentem hominem, nisi temperies alba præfuerit in ventre. Ergo persimillima est constellatio concepti, & nati. Cum autem dissimilis est,non superuiuet natus : à causis enim hostilibus suscipitur regendus.

5 Dixit Hermes igitur non ruditer, Lunam in tempore natiuitatis esse in signo ascendente tempore conceptionis. quod Haly frequenter, non semper, sic esse experitur.

6 Et ideo nascentes in octauo & sexto mense, non superuiuunt, quoniam Sol est in signo non respiciente signum conceptionis: nisi vbi fuerit antiscium, aut æquidistantiale. In quinto autem & quarto & tertio, quoniam nondum absolutus est fœtus, nec roboratus, vt passiones aëris pati queat: vnde septimestres imperfectos vngues, & cutem impolitam habent. In physicis autem aliud diximus.

De horoscopo.

ARTIC. II.

1 QVam difficillimum (vt impossibile reputetur à Pico, & Sancto Ambrosio) tam maximè quoque necessarium est horoscopi gradum & minuta pernosse: alioquin nec de fortuna, nec de itineribus, nec de temperamento, nec de morbis rectè iudicabimus.

2 Propterea, quoniam, quando desunt astrolabia, fallunt nos horologia, & vox nunciantis exitū ex vulua, oportet accipere Planetam dominantem in loco immediatè præcedentis coniunctionis Luminarium, aut in loco Luminaris existentis super terram, si præcessit oppositio: vel, si vtrumque est super terram, illius quod in oriente. Et considera in quo gradu alicuius signorum reperitur: ac deinde considera gradum medij cœli, & gradum horoscopi tibi datum sub dubio, non per astrolabium: & cuius locorum numerus fuerit proximior propinquitate numerali, non situali, illius dominantis Planetæ numero in signo suo, statues angulum illum siue medio in cœlo, siue in horoscopo, sub eo numero signi culminantis, vel horoscopantis. vocatur ille Planeta Animodar Arabibus.

3 Vbi duo Planetæ æquales sunt numero, & dominio, accipe angulum secundum numerum signi, in quo est Planeta potentior.

4 Rectificatur etiam figuræ horoscopus per præterita accidentia in his, qui iudicantur post natiuitatem, capiendo infirmitates: vt peregrinationes, quæ ab horoscopi directione sub tali tempore indicantur. Adde directiones significatorum medij cœli, & certior eris.

5 Quo

5 Quoniam omnis actio habet principium à vera causa pendens, & principale subsequens, quando non potest retrahi, & finem in quo perficitur actus, vt deliberare de occidendo, ferire mortaliter, & mori (sic in natiuitate, quæ est naturæ actus, principium est, cum vertitur caput inferius: principale, cum prodit & respirat caput: finis, cum exit totus infans:) debet horoscopus capi à principali parte actus: videlicet à tempore cum incipit respirare. quod diuiditur in tres partes: videlicet in principium attrahendi aërem: in medium, cum iã aëre potest vitaliter vesci: & finẽ, cum cessat respiratio per arterias vmbilici. Idcirco Cardanus tres figuras erigit, videlicet principij, medij & finis: primam pro initiis euentuum nati, secundam pro mediis, tertiam pro fine. Idcirco quando istæ discordant, non conueniunt in euentibus vltima primis. Habemus ergo horoscopum naturalem, principalem, & finalem. Igitur natiuitas Papæ Pauli Quinti, qui in principio diei caput extulit ex vtero, & in fine post matris conflictationes diras exiuit totus, Sole in occidentem properante, nequaquam debet iudicari, nisi posito Sole in oriente, vel vtroque modo.

6 Non semper natiuitas per astrolabium capta conuenit cum Animodar, vel propter fatum, aut directionem parturientis, aut patris, aut quia debilis est Planeta Animodar.

7 Qui per sortilegia & tabulas superstitiosas, & rotas Moysi falsò attributas, capiunt horoscopum, deceptores sunt, deceptíque simul.

De figura erectione, & partitione, & quæsitis in singulis domibus, & Planetis significatoribus.

ARTIC. III.

1 POstquam inueneris horoscopum, aut medium cœli, ex quibus cæteri anguli, & domicilia cognoscuntur, vt in primo libro dictum est, non per sortes procedes, sed elige in cœlo quæstionum conuenientes significatores Planetas, & locos, & locorum dominos: & sic ex eorum statu ad situm mundi, & Solem, & genituram, & configurationem, & motus, & luminis qualitate, & aspectu, de euentus fœlicitate, & infœlicitate, & tempore, & magnitudine, & qualitate iudicabis.

2 Quæsito

2 Quæsitorum loca sic se habent. In horoscopo quærimus de temperamento,& corporis qualitatibus,& magnitudine, & de his quæ corpore fiunt,aut tolerantur,vt peregrinationes,& morbi, & salubritates. In secunda domo ponunt Arabes diuitias, quibus corpus seruatur.In tertia sunt itinera breuia,& fratres & religio ex parte.Ptolemæus autem ex matris significatoribus in M.C.fratres considerat. In quarta de parentibus Arabes tractant, & de rebus occultis,& subterraneis,vt de thesauro,carcere,agricultura, & res terrestres. In quinta de legatione,& filiis,& gaudiis quærunt Arabes. Ptolemæus de filiis pòst 11. In sexta de morbis,seruis,animalibus. In septima de vxore, inimicis,absentia,& finibus rerum.In octaua de morte & hæreditate. In nona de religione, itineribus longis, scientia, somniis, &c. In decima de opificio,de honore, actionibus, amicis, filiis, matre, regibus, templis, & illustribus negotiis. In vndecima de amicis, filiis, beneficiis. In duodecima de seruis, morbis, & inimicis : quoniam non configuratur horoscopo, & vapores ipsam obnubilant, vti & octauam, continuo : vnde refractio visus stellæ in 30. gradu super horizontem valdè decrescit apud Tychonem,prius semper aucta.cętera patent ex situs ratione.

3 At & Planetas consulere oportet. Siquidem Sol significat pro gloria, & dignitate. Item patrem,& regem, & maritum.Luna verò vxorem,matrem,animam, sensum, eiúsque conditiones, peregrinationes, & fortunam ab ipsa auspicamur, quæ de diuitiis decernit. A Saturno res occultas, animi pertinaciam, & perseuerantiam,& patrem,& tarda negotia,diuturna,& altissima:vt etiam Sanctus Thomas in 1. p. docuit ex situ Saturni & motu argumentando. A Ioue de probitate, simplicitate,fœlicitate. A Marte de fortitudine, itineribus, ira, crudelitate, luxuria, & concubitus modo,& ambitione,& superbia. A Venere de amore, luxu,matre. A Mercurio de intelligentia, prudentia, vafricie, mercatura,doctrina. A Luna promptitudinem, instabilitatem, & honores etiam.

4 At neque in omnibus isti sunt principales : nam in grauioribus doctrinis ♄, in eloquentia ♃, in decore ♀,in acri disputatione ♂ cum ☿, in maiestate ☀,considerantur in eodem quæsito.sic in cæteris omnes participant.

5 Hanc doctrinam esse veram non modò symbolica ratio suadet, & S.Thomas cum Alberto, sed etiam Iacob Patriarcha, qui

in

in Sole & Luna & ſtellis vndecim adorantibus Ioſephum, interpretatus eſt patrem, matrem, & fratres. Si quidem & in cœlo ij ſunt planetæ, ſi numeres aſſeclas Iouis & Saturni. Sunt & duo Luminaria. Luna enim nobis, non iouialibus, eſt Luminare.

6 Fœlicitas & infœlicitas euentus in quæſito cognoſcitur ex dominantium planetarum conditione, & ſtatu. vt ſi beneficus, ſi maleficus, ſi fauet quæſito, ſi refragatur, ſi directus, retrogradus, combuſtus, matutinus, veſpertinus, ſi in dignitate domus quæ præualet in vita, exaltationis quæ in honoribus, trigoni quæ in magiſtratu, fortuna & amicis; termini quæ in negotiis diariis, vel extra dignitatem, &c.

7 Tempus cognoſcitur à directione ſpeciatim: ſed generaliter ſunt in angulo celeres, præſertim in principio: in ſuccedenti mediocres: in cadentibus tardi: orientales à Sole & mundo, celeres: occidentales, tardi: vt & matutini, & veſpertini. Item à velocitate & tarditate planetæ in ſuo motu.

8 Magnitudo & debilitas effectus à validitate planetarum diſcitur. Vt ſi in dignitate orientales, angulares, ſtipati ſatellitio amicorum & fixarum, & è contra. Ergo ſignificator de eſſentia quæſiti, gubernator de qualitate, planeta aſpiciens de fortuna & magnitudine, locus de ſubiecto, ſitus de tempore, poteſtas de magnitudine & verificatione indicant.

De parentibus nati.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 SOlent Aſtrologi primum de parentibus inquirere, licèt debili inueſtigatione cognoſcendis: & hoc nos faciemus cum Ptolemæo eorum antiſtite.

2 Ex ☀ & ♄ ſtatus patris bonus vel malus ſignificatur: matris verò ex ☽ & ♀. vel quia in die Sol, & Venus in nocte: ♄ & ☽ ſunt eorum ſignificatores: vel quia vnus non ſufficit planeta ad decernendum de illis ætate robuſtis.

3 Si quidem natiuitas filiorum ſignificat ſuper futura parentibus & fratribus: quoniam vis generatiua eſt ſui indicatrix, & per conſequens principiorum, & coeffectuum, id eſt fratrum, & effectuum, id eſt filiorum.

4 Status parentum ſequitur propriam geneſim: deinde primo-

geniti: deinde ſecundogeniti, &c. per ordinem: & nati infantia ſequitur geneſim parentum. eadem enim eis tanquam vnum exiſtentibus eueniunt. Et filio ſeparato ab vnitate, vel mortuo, ceſſat indicatio. At verò clariſſimus filiorum ſtatus, fratrum & parentum, ad ſe trahit: ſicut Ioſephi Iacobum, & natos. Et ærumnæ meæ Patrem meum, & fratres, & ſorores afflixerunt mecum.

5 Omnia, quæ fiunt aliquo pacto vnum, vt patres & filij, vxor & maritus, amicus cum amico, ab eiſd. cauſis patiuntur bene, vel malè. nec verè ſecundum naturam ſunt amici, qui eodem tempore non compatiuntur. Et hoc in gemellis patet natis ſimilibus in vultu, actionibus, & fortuna: vt ter expertus ſum ego. & teſtatur hiſtoria de ſanctis fratribus Geruaſio & Protaſio gemellis, & de Coſma & Damiano ſimiliter, in vita, morte, & fortuna æqualibus. quod ex parte fallit in Iacob & Eſau, vt mox dicemus, & cauſas à myſterio Dei, & à natura, cum Diuo Thoma dabimus.

6 Luminaria circumdata ſatellitio beneficorum orientalium à ☀ & occidentalium à ☽ optimum parentum ſtatum in gloria, & diuitiis, & ſalute decernunt: maleficis verò, & in vili loco, malum.

7 Luminaria hoſtiliter ſe aſpicientia inimicitiam indicant parentum, & in aſpectu hoſtili cum horoſcopo, inimicitiam cum nato.

8 Si in ſatellitio Solis contingat Saturnum in Luna, Venerem eſſe orientalem in propria perſona, aut in angulis, fœliciſſimus eſt parentum ſtatus. Si autem ſatellites non deſint, ſint tamen diuerſæ ſectæ, vt cum ♂ ad ☀ fertur, ♄ ad ☽, aut ſint beneficæ, non fœliciter ſitæ, mediocris eſt ſtatus parentum, & inconſtans. Idémque faciunt maleficæ bene diſpoſitæ.

9 Si verò Sol nullis ſtipatur ſtellis, & ſit curſu inanis, & extra angulos, abiectum ſtatum ſignificat patris. ſic & Luna matris.

10 Pars fortunæ in bono aſpectu Solis & Lunæ per manus tradit paternam hæreditatem: in hoſtili illorum, & ſatellitum Solis & Lunæ, negat hæreditatem: aut noxiam faciet nato. Item ſi fortuna ſub radiis Solis, non gaudebit natus de hæreditate: ſub Lunæ autem, gaudebit magis.

11 Si Iupiter aut Venus Soli aut Saturno quouis modo configurantur,

gurantur, siue ♄ Soli configuretur coniunctione, trigono, sextili, si potentes fuerint, longa vita decernitur Patri : sin minus, non subito erit breuis, sed anceps.

12 Si Mars supra Solem aut Saturnum eleuatur, eísve succedit, aut Saturnus Solem quadrato, aut oppositione aspiciat, si cadunt ab angulis, valetudinarios parentes faciunt : si in angulis, aut succedentibus, breuem vitam decernunt, aut vitiant corpus. Breuem vitam in 1.& 10. vel succedentibus : vitiosos in septima, & quarta domo.

13 Mars intuens Solem in 1.& 10. subito interimit, vel oculos lædit. Si verò ibidem Saturnum sic ferit, indicat rigores febriles & vitia ex sectione, & vstione. Saturnus autem sic lædens Solem patri mortem ex humoris copia parat.

14 Iupiter fouens Lunam aut Venerem, vel Venus Lunam coniunctione, trigono, sexagono, si sunt fortes, longam vitam matri dant : si debiles, anceps iudicium.

15 Mars Lunam aut Venerem inimico lædens aspectu, eísve succedens : vel Saturnus Lunam, &c. si non sint fortes, sed cadant ab angulis, morbos & casus indicant matri. si fortes, aucti cursu, aut in angulis, breuem vitam aut vitiosam dant matri : breuem in angulis orientalibus & succedentibus, vitiosam in occidentalibus & cadentibus.

16 Mars sic intuens Lunam in angulis orientalibus orientalem dat matri mortem repentinam, & vitia oculorum. Occidentalem verò, mortem abortionibus, vstione, sectione.

17 Mars Venerem sic afficiens mortem per successiones maturat, abditísque locis nascentia vitia, obtenebrationes, & humorum decursus.

18 Saturnus ita feriens Lunam orientalem, mortem morbósque affert per febriles rigores : quando occidentalem, per vteri affectiones, & corrosiones. Ergo ♂ & ♄ in cadentibus non efficiunt valetudinarios, sed per vices infirmari.

19 Natura morbi à signi natura, sic & vitia infrà patebunt.

20 Pone Solem nati in horoscopo de die, & de nocte Saturnum : & sic extrahe figuram patris, & iudica, vti de genituris cæteris, considerando stellas præsidentes. Si enim concordant in significando, iunge significata : si discordant, & inæquales sunt, iudica iuxta vincentem : si æquales potentia, nil decernunt nisi alternatim significent. Si enim dissenserint, alternatim facient effectum

ſuum, priùs orientales,poſtea occidentales, niſi impediantur ab alia ſequenti ſignificatione, vel planeta.

21 Tempus indicatur non à ☀ & ♄, ſed à dominis locorum, in quibus ſunt ipſi. Si enim ſunt veloces, orientales, & in cardine, cito effectum oſtendunt, ſin minus,contra.

22 Similiter extrahitur figura matris, ponendo Lunam in horoſcopo nati de nocte, Venerem de die.

23 Sunt tales figuræ certiores in tempore, non in decretis.

24 Similes ſunt parentibus,qui habent Luminaria in aſcendente prorſus.

25 Fratres ſunt ſimiles, cum ſignificatores fuerint in bicorporeis, vel in natiuitate alterius parentum.

26 Nepotes auis,quando ſignificator patris iungitur ſignificatori filij,qui eſt illius nepos.

27 Filij fratrum patruis, quando quis habet eundem fratris & filij ſignificatorem.

De fratribus & ſororibus.

ARTIC. II.

1 LVna de nocte & Venus de die, & dominus medij cœli ſunt ſignificatores matris, qui ſi configurantur beneficis multis, & in ſignis bicorporeis, plures fratres dant, & duplicant. Si autem maleficæ præſertim Soli mixtæ alterum è locis dictis damnauerint, occidunt fratres: Saturnus in oriente, natu maiores: Mars in occidente,minores: orientalitas mundi & Solis maſculos: occidentalitas fœminas.

2 Largitores fratrum bene ſiti ad mundum, & ad Solem,ſplendentes dant fratres.

3 Benefica largitrix, ſi domino loci matris, hoc eſt Lunæ, & Veneri, & M. C. domino conſenſerit, fratres conſentient: ſin minus, è contra.

4 Similiter ſi inter ſe conſenſerint largitores, & pars fortunæ, cohabitabunt: ſi ſunt in diſſentientibus, & antiſciis,& contrariis, è contra.

5 Pone largitorem fratris in aſcendente, & extrahe figuram, vt parentum, & plures, ſi plures.

De Sexu.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 MAsculus erit natus,si locus Solis & Lunæ,& horoscopi,& domini eorum,sunt masculini: si fœminini,fœmina, vel mollis,effœminatúsque.

2 Masculinitas à Planetæ natura scitur,& ab orientalitate à Sole & mundo:quoniam ibi masculescunt fœminini, sicuti in occidentalitate fœmineſcunt masculini.

3 Hæc decreta sunt firmiora ex conceptionis figura,clariora ex natiuitate.

De partu geminorum.

ARTIC. II.

1 SI Sol,& Luna,& horoscopus,dominíque locorum dictorum fuerint in signis bicorporeis, plures nascentur, vel duo. Si enim Planetæ alij miscentur,plures erunt. Medium cœli itidem bicorporeum significat,vt ascendens.

2 Tres masculi Saturno, Ioui, & Marti tribuuntur: vti tres Horatij,& tres Curiatij apud Liuium. Tres fœminæ,Lunæ,Veneri,& Mercurio effœminato: vt tres Gratiæ. Duo masculi & vna fœmina, Saturno, Ioui, & Veneri: vt Castor, Pollux, & Helena. Vnus mas & duæ fœminæ, Marti, Veneri, & Lunæ: vt Dionysius, Ceres, Isis.

3 Non superuiuunt aliter nati: quoniam non potest fieri alia Planetarum mixtio vitalis. Nec viuunt Ptolemæo vltra tres. Iuris-Consulti etiam ad quinque viuificant: nec credo absque experimento.

4 Sæpe gemini non superuiuunt: aut cum insigni nota corporis, aut repentinis mirificis casibus subiacent. Habent dorsum canum, & os sacrum retractum.

5 Idcirco potest esse alter bonus,alter prauus; alter viuere,alter mori: quoniam à duobus Planetis sunt contrariis. Sic potest solui dubium de Iacob,& Esau,quatenus stellæ Dei ordinationem exequuntur. quod Sanctus Thomas à diuersis cordium sitibus ad

horizontem ſoluit. Itidem de Sancta Catharina Senenſi, quæ ſuperuixit ſorori ſibi congeminæ. Sed SS. Coſma & Damianus, item Geruaſius & Protaſius, item Medardus & Gildardus, gemini omnes, eandem vitam & mortem ſortiti ſunt. Ego etiam vidi filios Diui Vitalis in patria mea ita perſimiles vultu, vt diſcerni non poſſent: qui religionem vtrique profeſſi primum, mox, alter factus eſt Presbyter, alter Notarius Apoſtolicus vxorem duxit: in moribus nil diſcordabant: & cum alter infirmaretur, alter qui ſecundus exiuit infirmabatur. tandem mortui ſunt eodem anno, ſed prior quatuor menſibus ferè ante poſteriorem, iuxta aphetæ ad interfectorem deductionem. Poſſunt ergo eſſe à conſimilibus, vel vno Planeta in bicorporeis. Ego omnes Planetas habeo in bicorporeis, excepto Marte, natu tamen vnicus. hinc arbitror non eſſe my in aſcendente, vel ſignorum migrationem hanc regulam debilitaſſe.

De monſtris.

ARTIC. III.

1 SI Luminaria cadant ab angulis, horoſcopo inconiuncta, & maleficæ ſint in angulis, præſertim 1. & 10. itémque vel dominus, vel locus interlunij, vel plenilunij præcedentis, neque loco Lunæ, neque horoſcopo, neque domino geniturę aliqua familiaritate iungatur, tunc naſcetur monſtrum, contortum, inuolutum.

2 Si inſuper Luminaria ſint in quadrupedibus, aut feralibus ſignis ſtellatis, natus erit non humanæ formæ.

3 Si quoque nulla benefica, ſed aliqua malefica Luminaribus teſtificetur, prorſus ab humana forma erit alienus, & agreſtis, maleficus.

4 Si verò Iupiter, aut Venus teſtificetur, habebit formam animalium Diis ſacratorum, vt felis, ſimij, canis: nunc autem dicas, familiarium homini.

5 Si Mercurius, vſui humano deuotorum, vt porcorum, auium, caprarum, &c.

6 Si in humanis ſignis erunt Luminaria in præfata conſtellatione, tunc humanæ erit formæ iuxta ſigna Luminarium, & centra à maleficis occupata.

7 Si nulla benefica teſtificetur, erit inſuper mutus & monſtruoſus.

8 Si

8 Si Venus aut Iupiter, erit in pretio monstrum, vt hermaphroditus, & subito diuinans.

9 Si cum his Mercurius, erit somniorum & oraculorum interpres, inde viuens: nam solus Mercurius surdos & mutos, licèt ingenioſos, faceret.

10 Dum sunt in nodis Luna, & maleficæ, plus possunt in monstrificio.

11 Hæc habemus à stellis. Physicus autem & causas inferiores, vt semen, & imaginationem parentum considerabit. Theologus portenti rationem. Neque enim Deus patitur ista fieri omnino frustra. Vt cum nati vsque 30. (& alij innumeri) in ventre olim Comitissæ Flandriensium, sed prodigiosè Deo volente. vt in historiis.

De iis qui non nutriuntur.

ARTIC. IV.

1 SI Luminarium alterum sit in angulo, & in coniunctione, vel oppositione, vel quadrato partili maleficæ, & Luminarium gubernator in maleficorum locis detinetur, & nulla beneficarum aspiciat, non superuiuet natus, nec nutrietur.

2 Similiter neque nutritur, si non partiliter, sed applicatione configurantur duæ maleficæ alteri, vel vtrique Luminari: vel altera malefica partiliter afficit Luminare alterum, altera successione, alterum potest, & vna malefica vtrunque, ferire coniunctione & oppositione simul, vel duæ &c. hoc intellige si benefica nulla aspicit, & constellatio est in angulis.

3 Mars insigniter lædit Solem successione, idest, in coniunctione applicantem, & Lunam in oppositione. è contra Saturnus plus lædit Solem in oppositione, & eleuatione, & Lunam in coniunctione. Præsertim vbi istæ maleficæ iunctæ sunt dominis locorum Luminarium.

4 Si duo Luminaria in angulis oppositа in diuersa latitudine, aut coniuncta in eadem maleficis fuerint, partus semiuiuus vel mortuus extrahitur.

5 In eadem constellatione si Luminaria à beneficis corpore vel radio defluunt, & applicant maleficis, superuiuet tot menses, aut dies, aut horas, quot sunt gradus inter Luminare, & male-

ficam,

ficam, iuxta beneficæ vires, propinquitatémque ac maleficæ robur.

6 Si benefica vel radius ſubſequitur, malefica verò præcedit, à qua defluit Luminare, ſuperuiuet natus: patietur tamen aliquid naſcendo, aut poſtea, quid monſtruoſum.

7 Si in hac conſtitutione maleficæ ſuper beneficas adiuuantes eleuantur, viuet natus in pœnam, & ſubiectionem: & exponetur. Sin è contra, exponetur; & alij parentes ſibi nutrient illum.

8 At ſi etiam tunc benefica cooritur, vel applicat Lunæ, & malefica occidit, adoptabitur loco filij à nouis parentibus.

9 In partu geminorum, ſi ſtella vna earum, quæ horoſcopo & locis Luminarium imperant, configurata eis, vt fiant gemelli, fuerit in occidente ſuccumbens, ſemiuiuum eſt quod naſcitur, & fruſtum carnis.

10 Quod ſi præter id à malefica eleuata afficitur, non poteſt nutriri. ſufficit enim parum ad geminos occidendos. quia &c.

De vitæ ſpatio ſuperuiuentium agnoſcendo.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 FRuſtra quærimus de euentibus vitæ, niſi ſpatium vitæ præ-
noſcamus.

2 Dignoſcitur vita ab aphetico loco, & à dominis illius, & ab interfectoribus.

3 Vitæ gubernatores ſunt quinque, Sol, Luna, horoſcopus, pars fortunæ, & dominus horum locorum.

4 Loca aphetica ſunt quinque, medium cœli, horoſcopus, domus 11.7. & 9. iuxta ordinem poſitum: reliquæ domus, quoniam ſunt inconiunctæ horoſcopo, & vaporibus occupatæ, ſunt inutiles. Similiter quæ ſub terra, quoniam non poſſunt inde vitam, quæ dies eſt viuentis, dare, nec ſignificator in eis de vita decernere. licèt Arabes ſecus opinentur.

5 Domus continet quinque gradus ante cuſpidem, & 25. poſt.

6 Semper ſunt plures aphetæ in iis, qui adoleſcunt, debilis eſt qui habet vnum.

De

De apheta principalis vitæ gubernatoris electione.

ARTIC. II.

1 IN die eligitur primo Sol si est in aliquo quinque locorum apheticorum : deinde secundò Luna, si Sol non est in aphetico: deinde tertiò Planeta habens in loco Solis, horoscopi, & præcedentis interlunij, si interlunium præcessit, tres ex quinque dignitatibus, quæ sunt domus, trigonus, exaltatio, terminus, & aspectus, cui antiscium, & æquidistantia connumeratur : quartò, sed si neque hic est aptus, fiet horoscopus princeps apheta.

2 In nocte verò primò eligitur Luna, si est in aphetico loco : secundò Sol si sub horoscopo 25. gradibus : tertiò Planeta, qui habet tres ex quinque dignitatibus in locis Lunæ, & fortunæ, & præcedentis plenilunij : sed in loco Luminaris quod est super terram, si plenilunium tamen præcessit.

3 Sed si præcessit interlunium in nocte sume horoscopum : si plenilunium, nec Planeta potest esse gubernator, elige partem fortunæ, si est in loco aphetico. Sin minùs, horoscopum.

4 Si Sol, & Luna, & gubernator, sint in locis apheticis, præfer eum, qui plus dominij habet, si in æquè apheticis sunt omnes. Etenim si Sol est in 9. & Luna in 10. quamuis de die, eligitur Luna : dum tamen Sol non sit temporis dominus. Si Sol est in 11. & Luna in 10. sunt pares ob prærogatiuam diurnitatis. Præponitur ergo qui maiorem habet dignitatem, aut testimonium à gubernatore. Itaque de nocte Sol in prima præfertur Lunæ in nona & septima existenti, quoniam, &c.

5 Quando gubernator est dominus vtriusque temporis præfertur Soli & Lunæ, si est in meliori loco aphetico. Hoc est dominium vtriusque temporis, habere dignitatem in locis Solis & Lunæ, & horoscopi, & plenilunij, & nouilunij præcedentium.

6 Dominus genituræ, qui est potentissimus Planetarum roborat vitam, non autem metitur, vt putant Arabes, nisi sit princeps apheta.

De vitæ dimensione per directionem aphetæ ad interfectores.

ARTIC. III.

1 DVplex directio. Altera recta, per quam interfector ad aphetam ducitur secundum consequentiam signorum, vt inter medium cœli, & horoscopum. Altera conuersa contra successionem signorum, quoniam apheta ducitur ad anæreten. Fit etiam altera in consequentia signorum ibidem recta secundum ascensiones aphetæ. Sanctus Thomas in 2. de gen. & cor. vitas metitur à motu obliquo.

2 Quoniam in quo gradu signi & situ ad mundum est apheta ibi largitur & exorditur vitam homini seorsum pro se viuenti, necesse est, vt quando alter Planeta ad illum situm mundi deuenit, aliquid faciat in vita siue boni siue mali pro sui conditione. Hoc autem facit statim in principio post vnam, vel duas, vel tres, vel quinque horas, &c. Sed non interficit, quoniam datum est homini viuere tot annos, quot sunt gradus inter aphetam, & maleficam ad situm eius venientem. Necessariò tamen semper in illo situ malæ & bonæ stellæ afficiunt natum singulis diebus, si quis bene consideret. & ex hoc possumus aphetam indagare, tanquam ab effectu. Videtur ergo apheta, & interfector, tunc potius significare, quàm causare vitam & mortem: alioquin interficeret subito cum ad aphetæ situm accederet, quod non facit, sed post tot annos, quot intercepti gradus: quoniam neque reperitur interfector in suo loco originali, sed gradus in quo ipse fuit est lethalis. Ergo plus significationis, quàm causalitatis, est in hoc negotio. Nisi dicas causam illam non perficere effectum, nisi post annos interceptorum graduum, quem incipit à principio: propterea que verum esse nos semper ad mortem tendere. hoc etiam mirum, res inferiores in motu subdeficientiæ, qui nihil est, vitam habere. At verò si tellus circa Solem immobilem circumfertur, vt videtur Pythagoreis, tunc deductio erit aphetæ ad interfectorem, sicuti solemus vulgariter metiri.

3 In directione autem conuersa è contra angulus interficiens

pergit

pergit ad aphetam contra id quod dixerat Ptolemæus. Verum si stat tellus, sic est, vt dicit. Apheta ergo ad interfectorem. Et quoniam dum super terram est, vitam dat, cum submergitur, indicat vitam sepeliri. Submergitur autem motu diurno: vnde etiam puto, etiam motu diurno, quandocunque aphetæ locus in locum maleficum incidit, hominem aliquid mali pati: essèque maleficum omnem aspectum hostilem, & sidus repertum in situ occursante contra signorum seriem. Et qui hoc intelligit singulis diebus noscet quando mala & bona illi occurrent ex locis radicalibus.quod licet quando apheta contra seriem signorum in bonos & malos peruenit locos, & quando mali & boni secundum seriem eidem occursant.

De interfectore, & tempore interfectionis in directione conuersa.

ARTIC. IV.

1 IN directione conuersa est tantum vnus interfector angulus occidentis: ergo nulla malefica inter aphetam & occidentis angulum potest occidere. Apheta enim ad illam vadit,non inuaditur. Solus autem angulus tantum potest, quoniam ibi apheta quasi se præcipitat à vitali situ.

2 Stellæ ergo interiectæ inter aphetam & occasum, vel radij, non interimunt, sed beneficæ adiiciunt tempus vitæ, maleficæ adimunt.

3 Numerus temporis adiecti, vel ablati, colligitur ex partium vniuscuiusque situ. Quot enim fuerint horaria tempora interdiu diurna, noctu nocturna, tot significantur anni. Qui sanè numerus cum in ortu fuerit, idest cum apheta, integer seruandus est, & secundum distantiæ ab apheta in occasum proportionem attenuandus, donec ad occasum in nihilum redigatur.

4 Horaria tempora est numerus graduum æquatoris & minutorum,qui ascendunt in quacunque hora temporali. Sunt autem horæ astronomicæ æquales: at ciuiles inæquales, quæ ex arcu diurno & nocturno, quamuis inæqualibus, diuisis pariter in sex, fiunt. Et quia signa tortuosa alia, alia recta, ascendunt, plus

minúſve æquatoris intercipiunt. Igitur, ſi Planeta interponet ſe ipſum, aut radios, in nocte, cape horaria tempora, nocturna; ſi in die, diurna. Ac multiplica tempus diſtantiæ Planetæ interpoſiti, vel proiectorum radiorum, per horaria tempora, & diuide per duodecim, ideſt per numeros horarum.

5 Bis & ter hac conuerſa directione vſque non inuenio aphetam, cum peruenit ad angulum, mortem afferre: ſed mala non deſunt. Propterea non facilè concedam Ptolemæo ſic omnino vitæ ſpatium ibi metiendum. Sed per rectam deductionem operabimur.

6 Planeta retrogradus non immerito Arabibus conuerſam requirit directionem. Sed quouſque eius retrogradatio proceſſerit, ſi aliquid interim illi occurſat, adde & rectam: quæ ad retrogradum tardius perueniet promiſſor malus, bonúſve.

De interfectoribus & interfectionis temporibus in directione recta.

ARTIC. V.

1 IN directione recta interfectores duo ſunt Saturnus & Mars, & eorum aſpectus oppoſiti, & quadrati. Ergo ſex.

2 Interimunt etiam antiſcia maleficarum dictarum, ſi principio aſpexerint aphetam, quando ad illa perueniet directio. Similiter æquidiſtantia in obedientibus, & imperantibus, non impedita per multam latitudinem.

3 Interficit etiam quadratum ſiniſtrum aphetæ ſecundum ſeriem ſignorum naturaliter in directione: quoniam ad contrarium fit ſignum, & gradum.

4 In ſignis tamen breuium aſcenſionum interficit trigonus maleficarum, & longarum aſcenſionum etiam ſexagonus: quoniam æquiualent quadrato, vt dictum eſt in primo libro: & hoc in parte ſui aſcendente, & deſcendente accidentali ipſius cœli.

5 Cum Luna eſt apheta locus quoque Solis interimit, ſi fuit à principio in aſpectu hoſtili, vel imbutus radiis maleficarum. Si beneficarum, etiam in aſpectu hoſtili non occidit.

Diuersæ rationes euadendi & certificandi mortem, & malos euentus, ex occursu maleficarum vario.

ARTIC. VI.

1 NOtandum, quod radij hostiles beneficarum non occidunt, neque nocent, neque iuuant. potius autem iuuare solent cum difficultate. Sic neque amici aspectus maleficarum nocent aut iuuant. Solent tamen nocere vbi à principio malè aspexerint,& vbi æquiualent hostilibus.

2 Si Copernici doctrina verax est, oportet aspectus in Zodiaco considerare: quia est circulus realis in cœlo, æquator autem in terra. vnde Arabes in Zodiaco indicant aspectus, & partiuntur domicilia. Si autem rectius sapit Ptolemæus,in æquatore sunt accipiendi. Et quidem quod in Zodiaco semper accipiendi sint in omni constellatione & iudicio concedunt Ptolemaïci. Dicunt tamen in solius aphetæ directione, vel in directionibus omnium, tantummodo in æquatore esse capiendos. At profectò si configuratio valet in Zodiaco, & directio valebit. Sed fortè dum simul ascendunt, mutatur aspectus æqualis eorum, fitque inæqualis ob signorum rectitudinem, & tortuositatem, & sic verè in æquatore, qui est regula motus diarij, considerandi veniunt. Oportet enim signa in æquatore intelligere: alioquin non semper erunt gradus 90. inter angulum & angulum, vti palàm profitemur omnes.

3 Considera igitur aspectus in æquatore, & in Zodiaco: & cum concordant, puta eos fortissimos: cum discordant, debiles. Et tunc vtriusque proprietates considera: & iuxta vincentem iudica. vincit autem propinquior gradibus 90. At si signorum est contrarietas, & non numerorum, vtique oporteret,cum ad quartum signum peruenit directio, quamuis non ad gradus 90. effectum malum prodire. hoc autem falsum est. Ergo natura aspectus, & signi simul consideranda est.

4 Aliquando etiam non interficit anæretes, id est locus interfectorius hostilis, ad quem directio peruenit.

Vel quia est in termino beneficæ.

Vel quia benefica est ibi corporaliter succedens.

Vel quia proiicit radios ad illum locum quoscunque,siue ho-

ſtiles ſiue amicos: ita tamen vt non excedat ſui orbis terminum. ♃ 12. ☿ 8. Vel quia apheta & anæretes ſunt in diuerſa latitudine.

5 Planeta quoque ſub radiis non interficit, neque viuificat, niſi quando Luna eſt apheta locus Solis imbuti maleficarum radiis, abſque beneficis.

6 Quando nocentes & auxiliantes concurrunt, iudica pro vincentibus numero & robore. & ſic ſi plures,& robuſtiores, maleficæ, occides; ſi beneficæ, viuificabis.

7 Eclipſis & cometa malefici ſuper locum directionis & aphetæ ſolent occidere: ſimiliter in aſpectu hoſtili.

8 Probatum eſt etiam,quod ſi progreſſiones aphetarum,& tranſitus ſtellarum ſuper progreſſus, & directionem, fauent vitæ, locus interemptorius non interimit, ſed expectat, donec tranſeant (de progreſſibus, directionibus, & tranſitibus, in ſequenti libro dicemus, de mortis genere in fine huius.)

9 Si autem nocent, certificant mortem, & augent mala. ſi medio ſe habent modò, mediocriter.

10 Occurſantibus pluribus interfectoribus à potentiori iudicium euentus ſumes, vel primam partem euentus à primo occurſante, poſteriorem à poſteriori.

11 Qua via iuuet aut noceat planeta noſces ex radicali figura. Si enim dominatur loco fortunæ, per diuitias auxiliabitur, aut nocebit: ſi loco itinerum, itineris gratia: ſi horoſcopo, animi virtute, vel vitio. Sed peculiariter in morbis iuuat ♃ per medicinam: in violentis necibus per magiſtratum. Venus autem in violentis per gratiam,amicitias, donáque in morbis, oraculi præcantatione, mirabilibúſque modis.

12 Tandem haud abnuam, quod Luna interficit imbuta radiis maleficis, ſi à principio malè aſpexit. Similiter & Mercurius maleficio imbutus à principio malè aſpiciens: præſertim ſi vnus aut debilis ſit princeps apheta. Vide lib. 5. cap. 2. de directionibus.

De forma & temperatura corporis generaliter.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 SIgnificatores corporis & temperiei ſunt hoc ordine decernentes. Primò dominus horoſcopi. Secundò dominus loci Lunæ.

Lunæ. Tertiò domus horoſcopi à principio ad finem. ſolet enim & plura ſigna complecti. Quartò locus Lunæ. Quintò ſtellæ coaſcendentes domino horoſcopi. Sextò ſtellæ coaſcendentes domino loci Lunæ. Septimò ſtellæ coaſcendentes aſcendenti, id eſt horoſcopo. Octauò ſtellæ coaſcendentes loco Lunæ.

2 Expertus ſum centrales ſtellas horoſcopi omnibus præualere. Siquidem M. Delficus, & Dux Nuceriæ habentes Aldebaran in centro horoſcopi, ſunt manu prompti, celeres ad iram, ſuperbi, omnino martiales,& in colore ſubrubro. id vtrique indicant. Dux autem habet & Lunam in Aldebaran aſpectu: idcirco colore croceo, ac rubro ſimul tingitur, & inſtabiliter, vt videatur continuò colores mutare, nec pictor poſſit illos imitari ſatis.

3 In hoc decreto conſiderabis regionem. Nam Saturni eſt ſubnigrum facere in noſtro climate: at in Germania minus flauum: in Æthyopia nigerrimum. Nota etiam educationem & ſtirpem. Caracciolorum enim familia, rubrorum vocata,omnes natos edit rubros. Ergo Saturnus in ea faciet minus ſubnigros, quàm in aliis. Oportet & patrem & matrem noſſe aliquando. cauſæ enim particulares modificant generales: ſic de cæteris.

De eodem ſpeciatim ex planetis ſignificatoribus & qualificantibus.

ARTIC. II.

1 SAturnus orientalis facit flauos, commodè habentes, capillis nigris criſpos, oculis magnis, ſtatura moderata,temperatura humidiore ac frigidiore: occidentalis nigos, macilentos, paruos, capillo ſimplici: tenues aliquantulum, moderata ſtatura, nigris turbidis oculis, temperie frigidiori ſiccioríque.

2 Iupiter orientalis albos cum quadam coloris commendatione, capillitio mediocri, nigris nitidis oculis,bene magnos, forma venerabili, temperie calida humidáque: occidentalis albos colore, ſed indecenti, capillis rigidis, aut recaluaſtros, & caluos, ſtatura mediocri, temperie humidiore.

3 Mars orientalis rubeſcentes, bonæ ſtaturæ, valentes, oculis cæſiis, hirſutos, capillamento mediocri, temperie calidiori ſiccioríque: occidentalis rubentes omnino,ſtatura mediocri, exiguo

capite

capite, ſubtenues, flauis capillis, temperie ſicca, oculis cæruleis cum Luna.

4 Venus ſimilia Ioui, niſi quod elegantiora, & plauſibiliora muliebrémque magis habitum decentia, omnia teneriora: peculiariter dat oculos decenter ſublucidos.

5 Mercurius orientalis flaueſcentes, ſtatura temperata conformi, oculis exiguis, capillamento mediocri, facie oblonga, temperatura magis ad calidum accedente: occidentalis flauos, rara ac tenui corporis textura, oculis cauis, caprinis pedibus, tenues, ſubrubeſcentes, conſtitutione corporis ficciore.

6 Sol opitulatur ad formam decentiorem, & oculos claros, & grandes, albidos. Luna præſertim in ſeparatione à ſignificatore formæ, generaliter ad maiorem conformitatem, & robur, & temperiem viridiorem, & quandam rotunditatem: ſpecialiter verò habita ratione illuminationis: quoniam in prima quarta eſt calida & humida: in ſecunda, calida & ſicca, vt prius ſcribebamus. Oculos dat cum ♄ virides. Aſpice planetas in cœlo, nam ſubito nati vultum repræſentant conſideranti: & cum miſcentur, miſce decreta.

7 Stellæ matutinæ, & apparentes, ingentia efficiunt corpora: in prima ſtatione, valida ac firma: in retroceſſione, immoderata, malè temperata: in ſecunda ſtatione imbecilliora. Occidentales, nullius dignitatis, & vitiorum fœcunda. hoc autem de ſuperioribus dicimus magis, quas inferiores æmulantur.

8 Miſce iudicium, quando plures ſunt ſignificatores, & ex temperamento argue mores animi: quoniam ipſum ſequuntur neceſſariò ſecundum Galenum: ſed diſpoſitione tantùm, ſecundum D. Thomam. vide Phyſ.

De eodem ex quartis anni.

ARTIC. III.

1 AB Ariete in Cancrum naſcuntur coloris grati, grandes, valentes, oculis nitidis, magis ad humidam calidámque temperiem tendentes.

2 A Cancro in Libram, colore medio, conformi ſtatura, valentes, oculis nigris, hirſuti, capillis criſpi, calidiores & ficciores.

3 A Libra in Capricornum, flaui, graciles, maculoſi, raræ texturæ,

turæ, capillamenti mediocris, decentibus oculis, frigidiores, ficciores.

4 Ex Capricorno in Arietem, fuſci, ſtatura conformi, capillis rigidis, ſubtenues, temperie frigida & humida.

5 Hæc decreta intellige in ſignis non ſtellatis: quoniam à Solis viribus, ſic pro ſitu moderatis, fiunt iſta generaliter. Equidem intelligo eadem in præfatorum ſignorum temporibus: quamuis Cardanus de ſignis horoſcopi & Lunæ, & in quibus ſunt horum domini, intelligendum putet, quod verum eſt magis ſi concordauerint cum tempore. Nec tamen dico his in temporibus omnes naſci iuxta decreta memorata. poſſunt enim in horoſcopo habere ſigna æſtiua, qui naſcuntur in hyeme, & fixas trahentes in alium colorem. Tu miſce decreta, & pro vincente iudica.

De eodem ex ſignis ſtellatis.

ARTIC. IV.

1 SIgna figuræ humanę in Zodiaco, & extra, conformia & temperata corpora producunt: cæteræ deformant trahentes ad propriam formam: & quodammodo eis ſimilia euadunt corpora membráque, vel magnitudine & paruitate, vel robore & teneritudine, & conformitate & difformitate.

2 Magna efficit ♌ ♍ & ♎ præſertim cum Ioue: parua ♓ ♋ ♄.

3 Item ♈ ♃ ♌ priora corporis dant valentiora: inferiora, infirmiora.

4 Contra ♎ ♑ ♊ anteriora ad imbecilliorem temperaturam: poſteriora ad robuſtam trahunt.

5 Similiter ♍ ♎ ♎ conformitatem adducunt & commoderationem.

6 At ♑ ♓ ♃ inconſtantem, & incommenſuratam. Sic de cæteris, quorum miſce ſignificata.

7 Oportet prænoſſe ſtellarum figuras apud Arginium. Frequentia ſiquidem ſtellarum facit robur: diſpoſitio commenſurata, decentem formam: diſtantia in longitudine, proceram ſtaturam; in latitudine, craſſum corpus. hinc phyſionomizandum ab aſtris non inutiliter.

De vitiis & morbis corporis generaliter.

CAPVT VI. ARTIC. I.

1 VItium ſemel infligitur, nec perſeuerantes dolores affert, vt cæcitas, clauditas. Morbus verò vel continuos, vt febris: vel reciprocos, vt podagra, chiragra: vel vtrumque, vt calculus.
2 Fiunt morbi & vitia in prima, ſeptima, & ſexta domo, (quæ inconiuncta horoſcopo.)
3 A maleficis ibi exiſtentibus corpore, vel radiis hoſtilibus prorſus, vel ſuccedentes gradus afficientibus.
4 Præſertim quando Luminaria duo ſunt in angulis, vel ſimul vel ex aduerſo ſic affecta.
5 Poteſt etiam vnica malefica, ſi ſit in centro, offendátque Luminaria, morbum facere.
6 Malefica in ſexta plus efficit corpore, quam radio, & plus ſi etiam ferit quadrato radio angulum medij cœli, vel imi. datur & duodecima morbis, & octaua.
7 Si domini aſcendentis, & loci Lunæ, vel Luna in præfatis locis, à maleficis afficiantur extra poſitis, aut maleficæ ibi poſitæ illos afficiunt alibi poſitos.

De natura vitij, morbique & partibus affectis à ſignis.

ARTIC. II.

1 TAles morbi vitiaque ſunt iuxta naturam maleficæ, & affecti ſideris, & ſignum Zodiaci ibidem exiſtentium. hoc eſt in prima, ſeptima, ſexta, duodecima, à configuratione ſtellarum, & locis reſpectu cardinum.
2 Partes afficiendæ in corpore indicantur à partibus ſignorum in loco horizonti affecto, & vtrum vitium, an morbus, an vtrumque. Aſtrorum verò naturæ horum cauſas & genera declarant.
3 Partes finitoris ſunt termini ſigni affecti, de natura quorum ſunt termini, inquit Haly. Vt ſi ſint termini Mercurij indicant affectum in lingua, vel ſpiritibus, &c. Cardanus autem Arabum placitis innixus, partes corporis per ſigna indicatas intelligit.
4 Nam ♈ habet caput, ♉ collum, ♊ brachia, ♋ pectus, ♌ à mucrone

à mucrone pectoris ad vmbilicum, ♍ abdomen, ♎ nates, ♏ pudenda, ♑ coxas, ♐ genua, ♒ tibias, ♓ pedes. Per membra à planetis indicata intelligit interiora.

De eodem à planetis significatoribus, vel qualificatoribus.

ARTIC. III.

1 SAturnus præest auditui dextro, vesicæ, spleni, ossibus, melancholiæ, pituitæ crudæ non naturali, cartilaginibus, ligamentis, dentibus, & retentiuæ facultati.

2 Iupiter tactui, pulmoni, arteriis, sanguini, iecori, carni, & digestiuæ facultati.

3 Mars auditui siniſtro, renibus, venis, pudendis, felli, bili, intestinis, sedi, & expulsiuæ facultati.

4 Sol visui, præsertim dextro, cerebro, cordi, neruis, dextrísque omnibus arteriis, sanguini arteriali.

5 Venus olfactui, hepati, carni, gustui, semini, vasis seminariis, pudendis vtriusque sexus, ventriculo, mammillis, lacti, humido radicali, & appetitiuæ, attractiuæque.

6 Mercurius sermoni, menti, rationi, linguæ, neruis, memoriæ, digitis, spiritibus animalibus.

7 Luna menstruo sanguini, gulæ, stomacho, ventri, vuluæ, siniſtrisque omnibus, cerebro, oculo siniſtro, pituitæ naturali. Et quando est plena significat pituitam multam insipidam, & dulcem: & si miscetur Saturno, amaram, quia multa difficile crassescit, & amarescit. At vacua lumine, paucam. & tunc si miscetur Mārti, facile amarescit, & salsescit.

8 Idem membrum potest à duobus & tribus regi planetis: vt cerebrum à Luna ratione substantiæ: à Sole ratione arteriarum, & principatus: à Mercurio ratione spirituū & facultatum animalium.

9 Planetæ dominātur animalibus, & plantis, quæ habent in substantia, & in figura symbolum cum membris nostris: vt Sol citro cordi persimili: Saturnus cupresso, melancholiæ symbolo. Omniaque dura, magna, tetra dabis Saturno: Ioui temperata, alba, venusta, procera: Veneri consimilia, sed muliebria magis: Marti rubra, acuti saporis, calida, sicca, vt piper, nasturtium, &c. Lunæ mollia, mutabilia, humida, vt cancros, betas: Soli magna, odorifera, splendentia, vt palmas, lauros, leones, gallos: Mercurio communia, artificiosè concinnata, varia, &c. de quibus alibi.

De vitiis ſpeciatim.

ARTIC. IV.

1 VItia plerunque fiunt, cum maleficæ ſunt orientales: morbi, cum occidentales. robur etiam conſiderabis.

De cæcitate.

ARTIC. V.

1 FIt cæcitas alterius oculi, quando Luna ſolitaria in præfatis angulis, aut coniuncta, aut oppoſita, aut quadrata Soli reperitur, vel in antiſciis.

2 Itémque cum coniuncta, aut oppoſita Soli applicat nebuloſis, vt Præſepis ſtellis, aut Pleiadibus, aut aciei Sagittæ, aut aculeo Scorpij, aut partibus Leonis inter Berenices crinem, aut vrnæ Aquarij.

3 Quatuor ſunt loci facientes cæcitatem, & morbos in oculis: primus nebuloſarum: ſecundus Galaxia: tertius ſtellarum occultarum: quartus ſtellarum de natura Solis & Martis, aut Lunæ & Martis.

4 Quando fuerit Luna in vno angulorum, ſimiliter & Mars, aut Saturnus in centris, vel ipſi occidentales ad ipſam orientalem aſcenderint. Hoc Haly intelligit ſic: ſi Mars in 3. ♈, & Luminare in quinto aſcendente, Arietis primo, & eſt idem cum modo Solis. Vel Luna ſit in 10. ♈ in occidente, & occidentis gradus ſit 4. ♈ & Mars in oriente in 12. ♎, tunc Luna eſt occidentalis à malefica, & malefica aſcendit motu diurno ad eius oppoſitionem. Vel aſcendant 28. ♍, & Mars ſit in gradu 3. ♎, & Luna in primo, tunc enim Mars eſt propinquior orientis angulo, quàm Luna. Ego intelligo aſcendere ad ſitum non ad gradum.

5 Item quando vtrique Luminari in eodem ſigno vel oppoſito configurantur maleficæ hoſtiliter, matutinæ ad Solem, veſpertinæ ad Lunam, vtrumque oculo læſionem minatur.

6 Item quando loco Lunæ fuerit Sol, & ante ipſum Saturnus, vel Mars, cæcitas ſignificatur.

7 Mars

7 Mars plagam, vstionem, ferrum, pulsationem minatur: & Mercurio iunctus facit hoc in palæstris, gymnasiis, aut ab hominum malorum incursibus. Saturnus verò per suffusionem, frigus, glaucomata.

8 Fit idem ab vno malefico vnum tantum Luminare feriente. vt in nobili Fogiano accidit. Nunc habet quidem Saturnum in 9. in gradu 29. 30. ♉ retrog. Lunam in 11. & 7. Leonis defluentem à Præsepi nebulosa, & 4. occultis: & à sextili eiusdem Saturni, Solem in 21. ♎, in æquidistantia ☌ positi in 12. domo, in gradu 9. ♍: & Martem in 4. ♍: Mercurium & Venerem in 7. & 8. ♎: nihilominus cæcatus est quando peruenit Luna per directionem ad 29. ♌ quadratum Saturni: & in vtroque oculo: ita tamen, vt videat exilem lucem, & res quasi atoma corpuscula. Sperarem salutem ob aspectum ☌ & ☿ à religione, & medicina, nisi directio ad Martem properaret.

9 Galaxia in ascendente cum Luminaribus facit albos capillos nati quasi senis, & totum corpus molle, infirmúmque, & oculos cæcutientes, qualis est filia Carcerarij, quæ habet Solem in præsepi: & ascendit Cancer cum Galaxia & Luna.

10 Semper Luna in Solis quadrato, aut diametro, visionem labefactat, cum præsertim ei applicat, tempore quidem, quo directio perficit applicationem.

De sterilitate.

ARTIC. VI.

1 SI Venus fuerit in prima vel septima, sed magis in septima, Saturno configurata oppositione, quadrato, antiscio, vel commutans dignitatem cum eo, vt ♄ in ♋, ♀ in ♐, & ♂ super ♀ eleuetur, aut opponatur, maribus sobolem negat, fœminis abortiones, crudos partus, & laceros fœtus decernit, præcipuè in ♋ ♍ ♐. ac si Luna Marti in ortu se applicat.

2 Deterius erit si Mercurius Veneri iungitur, aut configuratur, aut dignitatem cum Saturno commutet: & Mars rursus eleuatur super eam, aut opponitur. Fiunt sic eunuchi, & hermaphroditi, & quorum genitales concreti sunt meatus.

3 His ita configuratis, si etiam Sol configuratur, & Luminaria & Venus masculina sunt, & Luna occidentalis, & ad eam maleficæ

proximè ſequentes partes aſcendant, mares euirati naſcuntur, vitiis affecti, præcipuè in ♈ & ♎: fœminæ verò ſteriles, infrugiferæ. Aliquando neque ab oculorum vitiis liberi ſunt tales nati, quoniam Luminaria ſunt affecta.

4 Hæ conſtitutiones valdè potentes dant vitia à natiuitate: debiles verò in tranſcurſu ætatis: prout fortitudo conſtitutionis & ſitus ad Solem, & ad mundum, & progreſſus, & ingreſſus, & directio ferunt. Hoc ipſe probaui in quodam Marchione, qui in 20. anno coeundi vim perdidit factus epilepticus ex parte ob Luminaris & ☿ cum ♀ læſionem, commutantis cum ♄ dignitatem.

De linguæ impedimento.

ARTIC. VII.

1 IMpediti ſunt lingua, ac balbutientes, quicunque Saturnum, & Mercurium, habent in prædictis angulis cum Sole, maximè quando occidentalis eſt Mercurius, & ambo cum Luna configurantur.

2 His iunctus Mars ſoluit impedimentum, cum obuiauerit.

3 Hoc idem euenit in 6. omnibus præfatis, vel altero, exiſtentibus, vel ſignificatore ex 6. alterum aſpiciente, vel ſi malefica 6. dominatur, & alibi ſit lædens: erunt tamen leuiora, ſed in oppoſitione peſſima, in ſextili leuiſſima: in ſignis mutis ♋ ♌ ♏, magis: in raucis ♈ ♉, aliquantum.

4 Equidem mihi eſt cum Sole Mercurius & Saturnus ſub radiis occidentalis in prima, vel potius in duodecima: nec tamen lingua mihi eſt impedita, nec valdè loquax. Credo quoniam conſtellatio eſt in ♍ ſigno pulchræ vocis, & malefica ſub radiis, & in ſextili Iouis: propterea minimè læſum eſſe. Sed Fr. Iulianus habet ☌ in aſcendente, & in angulo oppoſito ♄ quaſi centralem in ♍ 3. & poſt ipſum in 19. gradu ♀, in 22. ☿, in 27. ☽: nihilominus balbutiit multum, donec directio horoſcopi ad ♃ in 27. ☌, & ad ſextilem ♂ in 24. eiuſdem peruenit. nunc melius ſe habet. Lunæ quoque læſio in ſigno muto, & in horoſcopo balbutientem facit, vt Principem Stiliani. Mordaces habent ♂ cum ☿.

De

De claudis, gibbis, & contortis.

ARTIC. VIII.

1 SI Luminaria afcendant in angulis ad maleficas poſitas in centris, aut oppoſitas, & maximè ſi Luna ſit in nodis, vel in flexuris, ſeu tropicis propriis, aut in ſignis obnoxiis, ſeu detruncatis ♈ ♉ ♋ ♌ ♐, vitia corporis fiunt, gibboſitas, claudicatio, luxatio.

2 Si Luminaria ſint penitus ſimul cum maleficis, vitia hæc erunt à natiuitate: ſin minùs, poſtea cum conſenſerint directio & progreſſus &c.

3 Si maleficæ tunc fuerint in M. C. & ſupra Luminaria eleuentur, aut opponantur, aut quadrentur, infligentur vitia à periculis grauibus, aut præcipitatione, aut latronum incurſione, aut quadrupedum ictu.

4 Mars ab igne & vulneribus tumultuosè illatis, aut latrociniis. Et præcipuè cum Mercurio. Saturnus præcipitatione, naufragio, artuum contractione ſic lædit.

5 In hac conſtitutione nodus auſtralis peior eſt boreali, non ſolum Lunæ, ſed etiam aliorum nodi & tropici. vnde Cauda cum Luna, & plerunque cum aliis Planetis idem facit in angulis, teſte Cardano. Fuit Haly Luna cum ♂ & ☊ in 12. domo in quadrato Solis & Iouis combuſti in tertia domo, factúſque eſt gibbus annis duodecim iuxta periodum.

In cuti.

ARTIC. IX.

1 PORRÒ in tropicis & æquinoctialibus ſignis Luna ſic affecta verſante, vitia eueniunt in cute: in ♈ ex vitiligine potiſſimum: in ♋ ex impetigine: & prope Galaxiam nimius albor & ſcrofulæ: in ♎ ex lepra, ſcabie, lue venerea: in ♑ ex lentigine, & id genus aliis.

De morbis ſpeciatim.

ARTIC. X.

1 EX eiſdem iam dictis conſtitutionibus fiunt morbi, quando malefici contrario modo ſe habent, vt videlicet ſint veſpertini cum Sole, matutini cum Luna.

Ex Planetis morborum authoribus, & qualificatoribus.

ARTIC. XI.

1 GEneraliter Saturnus ventres frigidos facit ſuperfluis humoribus plenos, pituitoſos, defluxibus obnoxios, tenues, valetudinarios, dyſentericos, ægrè ſordes tuſſi eiicientes, colicos, leproſos, fœminas inſuper vtero laborantes.

2 Mars expuentes ſanguinem, atra bile detentos, anheloſos, affecto pulmone, ſcabioſos, continuò vſtulationibus, ſciſſuris, & in tectioribus partibus laborantes fiſtulis, ſanguinis effluxibus, aduſtionibus inflammatis, & paſcentibus vlceribus. Fœminas inſuper abortibus, aut partu mutilo, & inchoato, aut corroſionibus.

3 Vtrique ſimul miſcent vires & ſignificata.

4 Item Venus veri, Mars æſtati, Saturnus hyemi, Mercurius autumno ſimiles ſunt, ſimiléſque horum temporum morbis morbos adducunt.

5 Peculiares ſanè naturæ configuratarum ſtellarum peculiare morbi genus indicant.

6 Ad malorum vehementiam confert Mercurius. Nam Saturno frigus intendit ei conciliatus: & conſtanti motione pituitæ defluxus incitat, & humoris turbam, præcipuè circa pectus, guttur, ventriculum. Marti quoque operam nauat exſiccando, vt in vlceribus ex decoriatione, & ſiccitate prouenientibus, incruſtatis apoſtematibus, igni ſacro, lichenibus feris ſiue ex nigra bile orientibus, comitiali morbo, lepra, & his affinibus.

Ex

Ex ſignis cœli de eiſdem.

ARTIC. XII.

1 IVxta ſignorum in angulis in prædictis conſtellationibus repertorum proprietatem fiunt certi morborum euentus. Vt in ♋ in primis, & ♌, & ♍, & in ſignis quæ terreſtribus & aquaticis ſunt ſimilia, fiunt vlcera depaſcèntia, impetigines, ſcrofulæ, fiſtulæ, lepræ, ſcabies, lues venerea. In ♎ & ♊ comitialis morbus, & qui ſpiritum lædunt. In his propter ♃ & ☿: in illis quia aquatica & terreſtria paſcuntur inhærendo, conſimiles faciunt morbos. Qui ergo has figuras fecit, non memoriæ gratia, ſed ſymbolorum naturalium à Deo peritus ſcripſit.

De ſanabili, inſanabili, & tegibili.

ARTIC. XIII.

1 IN præfatis omnibus conſtellationibus, ſi nulla benefica configuratur maleficis, aut Luminaribus angularibus, morbi, vitiáque inſanabilia, & grauia erunt.

2 Item ſi configurentur beneficæ, ſed vincantur à maleficis, nihil, aut minimum iuuant ad curationem, vt quando beneficæ ſunt in dignitatibus maleficarum, aut ſub terra, & in cadentibus, & veſpertini, &c.

3 Si beneficæ fuerint potentiores, præſertim orientales, curabunt morbos, & vitia tegent, & honeſtabunt. ♃ humanis auxiliis, per opes dignitatéſque per ſe: at cum ☿ addit etiam per medicinam. Venus verò prædictionibus & oraculis vitia elegantia & plauſibilia facit: vt in Tyreſia. Et morbos diuinis auxiliis curat per ſe. Sed cum ♄ non ſine pœna, & ignominia vulgò nota, aliiſque id genus, dum exorcizantur, &c. Cum ☿ verò non ſine ſubſidio & lucro ad ipſum ægrotum ex vitiis & morbis redundante. Hoc erat Ptolemæi tempore. Nunc autem ſanati accipiunt dona & eleemoſynas. Alij lucrum ex Pythone, vt dicemus.

4 Nota quod à ſtellis morbi ſanantur diuino prætextu ſecundum Ptolemæum, vel quia ſunt ſigna, vel quia concauſæ curantis intelligentiæ. Non autem vitia ſanantur à ſtellis vllo

prætextu, quæ non nisi à Deo sanantur, vt patet ex Euangelio de cæco nato, & aridis, & lunaticis. D. Thomas & Alb. idem docent.

De qualitatibus animi generaliter.

CAPVT VII. ARTIC. I.

1 QValitates animæ corporis temperiem, tanquam disponentem causam, sequuntur. Cœlum ergo potest super mores dispositiuè: vt dicebat Sanctus Thomas in 3. contra gent. de ☿ in bono statu. Sic & nos, & has in pueris ante vsum rationis inclinationes, & operationes experimur.

2 A constitutione Mercurij cognoscitur intellectus, ratio, contemplatio. A Luna, & configuratis astris, mores, & actiones, & sensuales operationes. Mercurius enim spiritus regit, Luna cerebrum principium sensuum & neruorum & motionum, omnésque humores corporis, quibus & spiritus & corpus nutriuntur, quatenus humores.

3 Participant cæteri Planetæ. Nam ♂ habet audaciam, ♄ pertinaciam, ♃ simplicitatem &c. de quibus prius, sed significatores sunt ☽ & ☿.

4 Idcirco plerumque praui sunt homines, ait Sanctus Thomas, quoniam rationi sensualem affectum præponunt. hoc autem & in astris significatur. Luna enim plerunque præualet Mercurio. Est enim sæpe robustior ob continuas Mercurij combustiones & retrocessiones: præualet autem magis, quando est in imperantibus, & signis longarum ascensionum, ☿ in obedientibus, & breuium ascensuum.

5 Læditur ☿ in aqueis valdè, maximè in ♓, Saturníque radiis infaustis. Combustus negat studium scientiarum, non autem eloquentiam, & historiam. Mihi autem nihil combustus negauit, nisi libertatem à Rege: nec Tobiæ vespertinus, Martíque iunctus. Luna autem timet, qua afflicta etiam ratio hebetatur, quoniam à sensu indirectè pendet. sic etiam læso horoscopo.

6 In angulorum centris & horizontales & verticales maximè conferunt moribus, vbi ♄ cautos, ♃ eruditos, ♂ efficaces, ☀ graues, ♀ facundos, ☿ promptos, ☾ comes.

7 Inspice primum locos Mercurij & Lunæ: secundò dominos illorum:

illorum: tertiò configuratas ſtellas ad dictos locos, & dominos: quartò & eorum habitus ad Solem, & ad angulos: quintò & cuiuſque ſtellæ configuratæ, vel coniunctæ locis illis dominiſque, proprietates.

De eodem ex locis ſeu ſignis.

ARTIC. II.

1 SIgna mobilia generaliter faciunt publicolas ciuilium forenſium negotiorum cupidos, ambitioſos, diuinis vacantes, ingenioſos, agiles, indagatores, inuentores, bene coniectantes, refutatores, diuinatores.

2 Bicorporea, varios, mutabiles, indociles, leues, mutationis auidos, vafros, amatores, ſtudioſos muſicæ, negligentes obuios, ad pœnitendum pronos.

3 Fixa, æquos, aſſentationis inimicos, conſtantes, firmos, intelligentes, tolerantes, laborioſos, rigidos, continentes, iniuriæ memores, cœpti operis proſecutores, contentioſos, ambitioſos, ſeditioſos, cupidos, difficile flexibiles.

4 Mobilia, ad ingenium; communia, ad conuerſationem; fixa, ad regnandum faciunt aptos. quia &c.

De eodem ex dominis locorum qui dominatores & qualificatores dicuntur.

ARTIC. III.

1 DOmini locorum conſiderantur ſecundò, qui ſi Luminaria fuerint, omittuntur. Sunt enim generales cauſæ, conferúntque moribus, vt dicimus, ſummitates: ſed pro eis ſubſtituemus alios dominatores in eiſdem ſignis.

2 Quando Luna & Mercurius configurantur, compoſiti ſunt mores, concordátque ſenſus rationi. Similiter quando domini locorum ☽ & ☿ configurantur ſimul, nil melius ad condecentiam.

3 Si non ſe aſpiciunt ☿ & ☽, & eorum domini non configurantur, neque mutant dignitates, mores erunt incompoſiti,

4 Vnus eſt dominus, quando in vtriuſque locis dominatur, vel alter dominator eſt ſub radiis, aut nõ ſic dominatur, vt alter in vtro-

que loco:quando verò omnes domini ſunt ſub radiis, non aderit ſignificator,& natus erit agreſtis,vt in ſæculo aureo.

5 Si domini locorum ☽ & ☿ ſint in propriis locis,& dignitatibus, faciunt mores & operationes illuſtres,non impeditos,lucroſos, & validos,nil mali patientes,ſed boni multum habentes,ob virtutes.

6 Hoc propriè faciunt,cũ vtriuſque ſignificatoris,ideſt ☿ & ☽,locos gubernant,aut aſpiciunt:vt ſi configurati ☿ à Luna ſeparẽtur.

7 Si aliter ſiti ſint, obſcuros, inchoatos, occultos, infœlices in actionibus & contemplationibus.

8 Si ſuper dominos morum alius Planeta eleuatur,malum, præſertim ſi illi fuerint imbecilles. Nam ſi domini morum ſint malefici, erit natus improbus, & facinoroſus. Et ſi nullus eleuatur Planeta, impune committet ſcelera & lucrabitur inde, vt vſurarij & latrones.Si eleuatur benefica ſuper maleficas punietur à iudice, & infamabitur apud bonos viros. Si malefica ſuper maleficos dominos, opprimetur à prauis hominibus ſui ſimilibus & coniuratis in flagitio.Si autem dominus gubernator morum eſt beneficus,& nullus eleuatur ſuper eum, erit illi nato probitas lucroſa, & glorioſa.Si eleuatur malefica ſuper beneficam morum dominam, punietur à tyrannis & improbis, ſicuti viri ſancti. Si autem eleuatur benefica diſcors, probitas erit illi ad contumeliam & vilipenſionem, vt ait Iob : Deridetur iuſti ſimplicitas. & ſæpe occidetur vt ouis, aut damnabitur etiam à bonis : vt ſanctus Chryſoſtomus à S. Epiphania. Et ſi ſit ♃, dominus morum in ♑ vbi cadit, habeátq; ♀ oppoſitam in ♋ ſua dignitate ex auge, & tunc ♃ retrogradus eſt, erit natus ita deiectus, vt ab omnibus ad ſuam trahatur ſententiam,& ab ipſis bonis ſicut inutilis habeatur, id quod Cœleſtino V.Papæ accidit.

De locorum dominis, ſeu morum gubernatoribus ſigillatim.

ARTIC. IV.

1 SOlus ♄ animi gubernator, dominus locorum ☿ & ☽, ſi bene ſitus fuerit reſpectu orbis & angulorum, efficit natos nimium corporis & vitæ ſtudioſos, rigidos ſententiis, profundos meditationibus,auſteros,pertinaces, laborioſos, imperioſos,ſcelerum ſeueros vindices,ſuperuacaneis intentos,auaros,violentos,inuidos,theſaurizantes.

Si

Si obſcuro loco poſitus è contra, ſordidos, præparcos, abiectos, pertinaces in ſententia ſua, inuidos, timidos, ſolitarios, maledicos, lugubri ſemper habitu, impudentes, ſuperſtitioſos, laborioſos, liberorum & amicorum negligentes, domeſticis inſidiantes, triſtes, ſuam valetudinem nil curantes.

Si verò ſit Ioui conciliatus in honeſto loco, bonos, reuerentes maiorum natu, compoſitos, bene ſentientes, aliis commodantes, impigros ex actu iudicij, quæſtuoſos, magnanimos, liberales, temere nihil inceptantes, familiæ ſtudioſos, mites, patientes, prudentes.

Si in obſcuro loco, ineptos, furioſos, formidoloſos, ſuperſtitioſos, ſacra verſantes, incantatores, ſuſpicaces, liberorum oſores, amicis deſtitutos, abditis locis latitantes, infidos, ineptè elegantiam affectantes, virulentos, diſſimulantes, imbecilles, ambitioſos, ad pœnitendum pronos, fatuos, tolerantes malorum & iniuriarum.

Marti conciliatus in bona conſtitutione facit homines inceptantes citra delictum multa, ore libero, laborioſos, turbulentos, timidaudaces, rigoroſos, immiſericordes, faſtidientes aliorum, aſperos, bellaces, temerarios, ſeditioſos, fraudulentos, inſidiatores, implacabiles ira, perturbationibus inhiantes, tyrannicos, cupidos, reipublicæ aduerſantes, contentioſos, illatæ iniuriæ memores, funditus improbos, vehementes, intolerabiles, tumidos, inflatos, importunos, glorioſos, infeſtos, iniquos, impudicos, ab omni humanitate alienos, immobiles, pluribus ſeſe negotiis implicantes, agiles tamen, artificiis idoneos, inuictos, & omnino lucroſos.

At cum eo infœliciter ſitus, raptores, latrones, falſarios, flagitioſos, turpi lucro deditos, incompoſitos, à liberis & neceſſariis abhorrentes, contumelioſos, inſidiatores, fures, periuros, crudeles, nefarios, maleficos, homicidas, impios, ſacrilegos, incantatores, ſepulchrorum effoſſores.

Cum Venere in bono ſitu, mulierum oſores, ad ſenes propenſos, ſolitarios, inamænos, ab ambitione remotos, formoſa natiuo odio declinantes, inuenuſtos, inuidos, auſteros, alienos à congreſſu & conuictu, ſuis ſententiis innixos, vates, religioſos, myſteriorum & oraculorum cupidos, ſacrificos, diuinos, venerabiles, verecundos, philoſophos, cautos, facilè indignabundos, ſuſpicioſos, zelotypos.

Cum Venere infœliciter ſitus, laſciuos, incontinentes, obſcænos, ſine deliberatione in actionibus, impuros, immundos, fœminarum dolis expoſitos, præſertim domeſticarum, audaces, infames, venereos, pulchra declinantes, obtrectatores, maledicos, temulentos, obſequioſos, nefariè in coeundo affectos, & cum maſculis, ſenibus, belluis impios, deorum irriſores, myſteriorum ſacrorúmque profanatores, infidos, calumniatores, nihil non tentantes.

Cum Mercurio in bono ſtatu, curioſos, ſciſcitando auidos, iuris indagatores, rerum medicarum ſacrarumque, & quas vulgò religio eſt non reuelari, ſtudioſos, miraculorum architectos, captioſos, in diem viuentes, agiles, procuratores, ſolertes, acutos, amarulentos, diligentes, ſobrios, induſtrios, lucroſos.

Contra infœliciter, nugones, iniuriæ memores, duris animis laborioſos, ſuorum oſores, inuidos, triſtes, noctiuagos, inſidiatores, proditores, immiſericordes, fures, magos, incantatores, machinatores, doloſos in negotiis, faciléque impingentes.

2 ♃ ſolus gubernator in ſitu fœlici facit magnanimos, gratioſos, pios, reuerentes, hilares, humanos, magnificos, iuſtos, liberos, miſericordes, affabiles, excogitandi vi præditos, affinium ſtudioſos, principatui & regno idoneos.

Infœliciter verò ſitus facit quaſi ſimulacra dictorum obſcuriùs & humiliùs omnia, & pro magnificentia prodigalitatem, pro pietate ſuperſtitionem, pro verecundia timiditatem, pro veneratione auram popularem, pro humanitate fatuitatem, pro amore pulchrarum rerum luxuriam, pro prudentia cunctationem, pro libertate reſponſandi & obloquendi libertatem, pro elegantia affectationem vocabulorum & veſtium, &c.

Idem cum Marte fœliciter ſitus facit aſperos, pugnaces, militari ingenio, ad res promouendas idoneos, dominos, nemini parcentes, audaces, ſponte periculis ſeſe obiicientes, negotioſos, ore liberos, reprehenſores, cœpta proſequentes, contentioſos, primatum ſemper affectantes, prudentes, inſidiantes, vincendi ſtudioſos, magnanimos, ambitioſos, omne iudicandi arbitrium ſibi arrogantes. & hoc fœliciter.

At cum eodem in malo ſitu, contumelioſos, vnicuique manus iniicientes, crudeles, irreconciliabiles, ſeditioſos, peruicaces, calumniatores, inſolentes, cupidos, raptores, variabiles, leues, crebrò actorum pœnitentes, temerarios, infidos, multo iudicio, cognitione

gnitione nulla, turbulentos, insidiosos, faciles, prodigos, querulos, nugaces, enormes, inconstantes.

Cum Venere fœliciter, voluptuarios, pulchrorum amantes, artificiosos, sciendi cupidos, musicos, cantores, leues, faudi expositos, beneficos, argutos, bonos, pios, deorum cultores, certaminum studiosos, prudentes, amatores, venustos cum maiestate, splendidos, gratos, liberales, iudicio prædítos, honestos erga rem veneream, contentiosos, æqui amantes, honoris cupidos, decenter & eleganter probos.

Infœliciter verò, delitiosos nimis, effœminatos, saltatores, muliebri & euirato animo, sumptuosos, amatores, segnes, somnolentos, adulteros, ornatui indulgentes nimis, molles, ignauos, prodigos, ad cauillandum propensos, propè fatuos, passionum non coercentes, cultum & muliebrem elegantiam affectantes, muliebribus sententiis, sacris insistentes, lenones, mysteriorum indagatores, fidos, sanè non improbos, gratiosos, affabiles, conuictu iocundo, & libere conuersantes.

Cum Mercurio fœliciter situs, litterarum cupidos, linguarum & geometriæ amantes, mathematicos, artifices, concionatores, ingeniosos, sapientes, bonos, dapsiles, ciuiles, physicos, politicos, beneficos, fideles, bene moratos, liberales, turbarum amicos, callidos, lucrosos, veluti principatui genitos, pios, deorum amantes, dexteros in tractando, pios erga liberos, parentes, amicos, familiæ studiosos, eruditos, philosophos ob hoc existimatos.

Si infœliciter, fatuos, nugaces, facilè errantes, contemptibiles, furore diuinatorio correptos, sacrificos, vaniloquos, amarulentos, simulantes sapientiam, stultos, superbos, commentores, incantatores, incompositos, multa scientes, memoria tenaces, ad docendum habiles, miniméque impuris obnoxios cogitationibus.

3 ♂ solus fœliciter situs, generosos, ad principatum propensos, diuitiarum cupidos, versipelles, fortes, periculis se exponentes, temerarios, nulli parcentes, sine discrimine homines agentes, peruicaces, acutos, audaces, fastidientes aliorum, tyrannicos, pugnaces, iracundos, ad exercitum ductandum aptos.

Infœliciter verò, crudeles, contumelioſos, sanguinis & seditionis auidos, prodigos, vociferatores, percussores, temerarios, temulentos, raptores, infestos, immisericordes, perturbationibus obnoxios, furiosos, impios, familiæ & domesticorum negligentes.

Cum

Cum Venere in bono ſtatu, amabiles, bene tractabiles, ſociorum ſtudioſos, ſuauiter conuiuentes, lætos, luſores, ſimplices, apertos, modeſtos, ſaltatotes, amatores, liberorum amantes, imitatores, voluptuarios, corporis cultum amantes, ad laſciuiam pronos, ſagaces, ſed ſine damno, qui vitia ſua tegere norint, prouidos, in aliorum cenſuram & reprehenſionem non incurrentes, maſculorum iuuenum æque ac fœminarum amatores, ſumptuoſos, iracundos, zelotypos.

Infœliciter verò, oculis emiſſitiis, ſegnes, procliues ad coïtum, omnium ſecuros, cauillatores, adulteros, contumelioſos, mendaces, aſtutos, corruptores domeſticorum, & alienorum, feſtiuos ad cupiditatibus ſatisfaciendum, & facilè ſatiabiles, mulierum ac virginum conſtupratores, crebro ſe periculis obiectantes, callidos, immoderatos, inſidiatores, periuros, faciles ad lapſum & dementiam, interdum ſeipſos ornare geſtientes, audaces, peruerſos, inſolenter petulantes.

Conciliatus Mercurio fœliciter, vehementes in dicendo, militares, ſtrenuos, agiles, indeſpectos, verſipelles, habiles, ſophiſtas, laborioſos, veteratores, lingua promptos & manu, inconſtantes, ex inſidiis adorientes, malis artibus imbutos, ingenioſos, deceptores, ſimulatores, curioſos, malorum amantes, proſpere tamen agentes, cum æqualibus & ſimilibus facilè & iocundè conuerſantes, amicis commodos, inimicis incommodos.

Infœliciter verò, deceptores, alienorum vſurpatores, crudeles, periculis ſe exponentes, audaces, quos non rarò actorum pœniteat, faciles ad verbera, immoderati motus, audaces, fures, impios, periuros, irruptores, incendiarios, hiſtriones, infeſtos, ſepulcrorum effoſſores, truculentos, falſarios, infidos, incantatores, magos, veneficos, homicidas.

4 ♀ ſola, & fœliciter ſita, blandos, bonos, voluptuarios, omnibus expoſitos, cordatos, puros, ſaltatores, affectatores, lætos, laboris inimicos, artium amantes, decentes, Dei mirè reuerentes, habiles, in ſomniis fœlices, pios erga liberos & neceſſarios, beneficos, miſericordes, liberales, lucroſos, libidinoſos.

Infœliciter, ignauos, amatores, effœminatos, timidos, præcipitabundos, in coïtum pronos, neque infames, neque claros, ſed obſcuros latentes.

Cum Mercurio fœliciter, ad opificia manuaria promptos, animo philoſophico, ſcientiis aptos, opifices, poëtas, elegantes,

voluptua

voluptuarios, pios, prudentes, delicatos, lætos, amicis amicos, varia machinantes, meditabundos, aptos mente, gaudentes officio, celeriter libentérque discentes sine magistri opera, æmulatores optimorum, & pulchrorum affectatores, ore honesto, gratiarum affatim plenos, sermone amabili, cui credatur tanquam prophetico, moribus moderatis, probos, palæstra gaudentes, magnificos, acutos in iudicando, à mulieribus abstinentes, ad pueros propensos, & zelotypos.

Infœliciter verò, irruptores, machinatores, ore impudico, nunc harum nunc illarum partium, peruersis sententiis deceptores, perturbatores, mendaces, calumniatores, periuros, peruersos, insidiatores, incomposítos, inhospitales, falsarios, mulierum constupratores & puerorum, victui corporis deditos, molles, infames, in ore populi, omnibus se immiscentes, interdum rectè iudicantes, interdum male, turpia perpetientes, & varia affectione, contumelia quemque afficientes.

5 ☿ solus fœliciter situs, solertes, ingenioſos, mentis vi præditos, multarum rerum peritia instructos, ad inueniendum idoneos, experientes, bene ratiocinantes, coniectando scopum attingentes, naturæ rerum peritos, bonæ indolis, imitatores, beneficos, mathematicos, arcanorum conscios, & prosperè omnia discentes.

Infœliciter verò, vafros, impræmeditatos, obliuioſos, facilè per errorem peccantes, mendaces, nullo discrimine vtentes, infidos, alienis imminentes, iniustos, mente labili, in errores seductili. Cum est velocissimus facit inconstantes: sub radiis, obscura & inutilia tractantes, & humana maximè sapientes, & indagantes secreta rerum, & principum: lucens verò, quæ sunt in vsu communi & inutilia: retrogradus, hæsitantes: orientalis, liberiores: occidentalis, dissimulatores.

6 Quando miscentur gubernatores, respice vincentem, & minue decreta victi magis minúsve. Item vide an vterque vel alter tantum dominorum sit benè constitutus, & iudica pro eo benè, & non pro altero malè cõstituto, nisi malè, iuxta præscriptas regulas.

7 ☽ quatenus his configuratur in flexuris, facit animum variabilem, machinatorem, inconstantiorem, quia est per se significatrix animi: in nodis verò acutiores, industrioſiores, agiliores. Ideóque strabones & gibbosi, versipelles, quoniam ibi habent Lunam cum malefica. Caue à signatis. quod & S. Chrysostom.

5. tom. docuit, à Deo ſignatis ne poſſint malefacere, prout præſciuntur eſſe proni, & in membro, in quo erant malefacturi, vt corrigantur.

8 Luna aſcendens, & aucta lumine, nobiliorem, illuſtriorem, ſolidiorem, liberiorem, minuta, & ſub radiis, tardiorem obſcuriorem, hebetiorem, & ad pœnitendum propenſiorem.

9 * participans dominium ſuper mores, quando conciliatur morum domino, fœliciter ſitus, omnia reddit rectiora, æquiora, perfectiora, dignitatis, maieſtatis, & pietatis pleniora.

Infœliciter verò, neque hoſpitio receptus, humiliora, difficiliora, ſimpliciora, ſeueriora, cruda, intractabilia, & minùs maieſtatem præferentia.

De eodem ex configuratis ad locos, dominóſque locorum.

ARTIC. V.

1 POſtquam de locis, dominíſque locorum ad mores pernoſcendos conſiderauimus, nunc de configuratis aſtris ad illos dicere oportet.

2 In præfatis configurationibus ſtellæ orientales & horoſcopantes, maximè in propria perſona, liberos, ſimplices, præfractos, fortes, ingenioſos, acutos apertóſque faciunt.

3 In ſtatione matutina & culminantes, ratiocinatores, conſtantes, magnanimos, memores, cœpta vrgentes, immobiles, fortes, fraudis expertes, prudentes, inflexibiles, crudos, cenſores, negotioſos, ſcelerum vindices, ſcientiis aptos.

4 In ortu veſpertino, & occidentali angulo, inſtabiles, flexibiles, infirmos, laboris impatientes, facilè concitabiles, humiles, viles, timidos, dubios, timidaudaces, obtuſos, iactabundos, tardos.

5 In ſtatione veſpertina, & in imo cœli, amplius: Mercurius & Venus in occaſu veſpertino in die, & in nocte matutini (ideſt in occaſu matutino) faciunt ingenioſos, & ſapientes, non nimis memores, neque laborum aut patientes aut cupidos, occultorum perſcrutatores, inuiſarum rerum indagatores, vt magicorum myſteriorum ſublimium, machinarum fabrilium, operum mirabilium

rabilium architectos, rerum cœleſtium & philoſophiæ ſtudioſos, auſpices, diuinatores ex ſomniis, & his affines. Has regulas miſce in mixtis.

6 Prædictæ regulæ quatuor angulos complectuntur, & quatuor ſtatus planetarum, adde & fixarum, exceptis ſtationibus. Poſſunt intelligi diſiunctiuè, & ſic medium decretum adducunt, & copulatiuè, & ſic totum. In his regulis infœliciter ſe exponit Cardanus, textus tamen eſt clarus in Ptolemæo.

7 Optimus ſtatus eſt orientalis matutinus in die, & orientalis veſpertinus in nocte: peſſimus eſt in die occidentalis matutinus, in nocte occidentalis veſpertinus, quoniam deſinunt apparere. At orientalis veſpertinus in die, & orientalis matutinus in nocte fruſtrantur opere ſuo. De his ſtatibus vide lib. 1.

De vitiis & morbis animi redundantibus ex temperamenti & ſpirituum animalium paſſionibus à cœlo generaliter.

CAPVT VIII. ARTIC. I.

1 CVm Mercurius & Luna ſignificatores animi, inter ſe non coniuncti corpore, vel radio, vel intuitu, opprimuntur in angulis à maleficis, præſertim in prima & ſeptima, deinde etiam in ſexta, morbos animi ſignificant, & maximè ſi vna malefica duos locos ferierit, aut duæ vnum, aut duæ duos coniunctione, vel oppoſitione, vel circumdatione (id eſt obſeſſione) vel quadrato, vel antiſcio.

Specialiter.

ARTIC. II.

1 SI Saturnus de die, aut Mars de nocte ſit in horoſcopo, & læedant ☿ & ☽ nulla configuratos ratione, fit epilepſia. Idémque euenit ſi malefica eleuetur ſuper illos, aut illorum dominetur locis.

2 E contra quando Mars de die, aut Saturnus de nocte in eo-

dem loco præfatos significatores lædit, facit furiosos, & hoc maximè in ♋ ♍ ♓. In ♍ enim vis Mercurij geminatur: in ♋ Luna alter significator: in ♓ est dignitas duarum beneficarum, & signum stultum, in quo fit stupor, & amentia: sicuti in ♍ & ♋ insania & furor.

3 Quando Saturnus lædit Lunam in Solis coniunctione, vel Mars in oppositione, stante præfata constitutione angulari, & disiunctione significatorum, fit dæmonoplexia, maxime in ♐ & ♓. quoniam signa sunt Iouis, & duplicia, religiosa. Duplex autem est spiritus in dæmoniaco, & ex Ioue religioso male affecto significatur ibidem.

4 Nota quod tres conditiones requiruntur ad epilepsiam, quatuor ad furiositatem, quinque ad dæmonoplexiam post præiactam constellationem.

5 Concedit S. Thomas lunaticos & insanos fieri à stellis, non tamen dæmoniacos nisi occasionaliter & dispositiuè. Cum enim abundat atra bilis, & præsertim in Lunæ configurationibus mouetur, diabolus vtitur humore illo tetro, & fuliginibus ad terrendos spiritus animales, & mentem per ipsos, & præcipuè in lunationibus: tum quia tunc ei fauet natura rei, qua vtitur: tum vt infamet diuina corpora, & Deum authorem, prout dicebat Origenes, & Chrysostomus. quod benè notabis: & id ego expertus sum pluries.

De sanabili, insanabili, tegibilique.

ARTIC. III.

1 PRædicta constitutio absque beneficis facit dictos morbos insanabiles.

2 At si configurantur ♃ & ♀, & maleficæ sint in occidentalibus partibus, & beneficæ in angulis, & locis beneficis, erunt medicabilia, sed illustria vitia, & in exemplum aliorum palam. ♃ opera medicorum sanat, ♀ oraculis & religione significatiuè. Nam Deus est qui sanat religione, licèt per secundas causas interdum, vt Tobiam felle piscis.

3 Si verò è contra maleficæ sint in orientali angulo, vt beneficæ in occasu, erunt vitia similiter illustria, sed insanabilia secundum fidera: non tamen Deo.

4 Insuper

4 Insuper in tali situ addent epilepticis morbi continuitatem, vociferationes, & mortis terrores sæpe. Insaniæ verò & stupori addent incoërcitam licentiam aduersus domesticos, & denudationem, & blasphemias, & his similia. Dæmoniacis verò cerebri auiditatem,bacchantium consuetudinem, occultorum reuelationes, verberationes, & his similia.

5 Solis & Martis loca ad insaniam efficacia sunt in præfata constellatione:Iouis & Mercurij ad epilepsiam:Veneris ad numinis afflatus,& arcanorum reuelationem:Saturni & Lunæ ad humorum copiam, & dæmonoplexiam.Extra angulos ista etiam fiunt, vt in Agnete nostra:non tamen verè,sed debiliter.

APPENDIX.

1 DOctrina Aristotelis in Prob. & Gal. qui quidem melius sentit,& Auicen. & aliorum, qui putant afflatus numinis esse vim solius atræ bilis,stultissima est:neque enim diuinare, carmina pangere,loqui peregrina lingua, quæ & Aristoteles expertus non negat,stupido humori tribui possunt, neque corporibus stellarum;sed intelligenti causæ:quæ cum abutatur humoribus ad vexandos homines,non potest esse bona. Ergo est diabolus. quod Ptolemæus agnoscit, licèt nesciat distinguere deos malos à bonis. Gentiles enim malos quoque colebant. Nos vocamus Angelos scientes,quod vnus est verus Deus eorum & noster.

2 Nota quod Planeta sub radiis in vita,morte, & filiis, nil præstat: sed Sol pro illo: in actionibus penè nihil. In his, quæ sunt eorum, debiles significant effectus, vt in qualitatibus animi, & corporis, & in morbis: præcipuè Mars. significant enim adustionem.

De vitiis in re venerea speciatim.

ARTIC. IV.

1 PLurimum possunt sidera in re venerea, quoniam tota ferè sensualis est, & corporis qualitatibus, & illecebris subdit animum non inuitum.

2 Insania, epilepsia, & cæteri morbi, subduntur astris, magis quàm vitia amoris. propterea de illis facilè pronunciabis: non sic de his, quæ legibus & arbitrio possunt coërceri.

3 Considera & mores gentium. Nam Polonus non erit sodomita ex tali constitutione: Turca verò & Maurus ex modica significatione siderum sodomita habetur.

De eodem regulæ speciales.

ARTIC. V.

1 CVm Luminaria inconiuncta configurata Veneri & Marti non coniunctis, aut è contra, læduntur in angulis à maleficis, præcipuè in signis ♀ & ♂, insaniam amatoriam facere solent.

Vidi puellam nulli recusantem, consanguineo, aut clerico, aut viliſſimo, cuius Luminaria in ♋ & ♑ lædebantur à ♄ in ♎ posito: ♀ autem respiciebat ex 12. ♓ Martem in 24. ♊. Et nisi ♃ fuisset in 4. ♊, trinos radios ad ♄ mittens, non potuisset cohiberi à parentibus ne insaniret propter quemlibet transeuntem. Vnde oculi albumen & canes coëuntes ostendebat.

2 Si Luminaria in signis masculinis ambo fuerint, mares naturam masculinam superant in coitu: fœminæ verò ad virilem transeunt.

3 Si verò simul etiam ♂ & ♀, aut alter reperitur in masculino, vti ☀ & ☽, tunc masculi erunt ad omnes coitus prompti, adulteri, ad turpem voluptatem omnem proni. Fœminæ verò coitus præter naturam appetentes, salaces, oculis emissitiis, sibi virilia assumentes. Et si sola ♀ masculina fuerit, clam erit vitium. Si etiam ♂, habebunt pellices loco vxorum & concubinas, palàm se laudabunt de turpitudine, & plus dicent, quam facient.

4 Coitus naturalis est si Sol in masculino, & Luna in fœmino: si è contra, mares erunt aliquando valde masculini in coitu, aliquando valde fœminini. Et hoc si ♂ in masculino, & ♀ in fœminino, & è contra vt supra.

5 Luna & Sol in fœmininis masculos faciunt euiratos, & muliebria patientes sponte: fœminas verò nimis appetentes naturalem coitum.

6 Si verò & Venus fuerit fœminina, fœminæ erunt adulteræ, salaces, neque vllo tempore neque vlli hominum recusantes, neque vllum coitum illegitimum habentes. Viri autem molles, ad naturæ ignotas coitiones præcipites, muliebria patientes. Hæc occultè & tectè.

7 At

7 At si etiam ♂ effœminetur, apertè & liberè exercebit meretriciam illa, iste sodomiam, vsque ad populi communem indignationem & deuotionem infames.

8 Si insuper ♂ & ♀ fuerint orientales, & matutini, fiunt hæc omnia viriliora,illustriora,& notiora:si occidentales & vespertini, muliebria magis,& tecta.

9 His configuratus ♄ insolentiora,impuriora, cum maiori turpitudine & dedecore facit.Iupiter verò decentiora,tutiora,& cum quadam verecundia velata,vt Hispani. Mercurius verò diuulgat hæc,agiliora facit,mille modis varia,& cautius instituta.

10 Equidem expertus sum in fœminis ita esse. At quod Luminaria & Venus effœminata pathicum prorsus faciant, falsum deprehendo,nisi quis dicat in quartis orientalibus, & matutinos à Sole masculescere. Sunt etiam domini morum considerandi,& professio,& religio, educatio,& regio,& lex.

11 Nota quod pueri per vim violati cessant in prouecta ætate, si constellatio non est effœminata: sin minùs, prosequuntur turpitudinem.

De coniugio: & prius de vxore.

CAPVT IX. ARTIC. I.

1 DE his quæ sequuntur corpus & animum, postquam de ipsorum qualitatibus diximus, restat sermo. Prius autem de coniugio, vt copuletur cum tractatu de re venerea tota narratio.

2 Luna est vxoris significatrix, Sol mariti ex ipsa rerum natura, vt in Physicis.

3 Vxorem ducet in iuuentute,cuius Luna est in quarta orientali (quæ est prima & tertia:) vel in senectute iuuenculam. Cuius verò in occidentali,in senecta,vel in iuuentute vetulam.Occidentalis est secunda & quarta. Nota quod regula ista Ptolemæi, non verificatur in multis, & quæsiui an Luna noua & vetus certiorem regulam faciant, & non inueni. arbitrarium enim est connubium, & parum subditur astris. In multis tamen vera est: & præcipuè de vxoris iteratione in Duce Grauinensium mihi probata. Sunt quædam inclinationes quasi necessariæ in his decretis arbitrariis.Luna enim

enim in ♋, in medio cœli, libera à ♄ & ☀, dat vxorem absque dubio: & è contra sub radiis in Leone cum ♄ negat coniugium. in cæteris pronuncio cum suspicione.

4 In signo vnius figuræ, & vni stellæ applicans Luna, vnam dat vxorem: in bicorporeis, aut multicorporeis extra Zodiacum positis, aut pluribus applicans, iterat coniugia, pro multitudine siderum & formarum loci Lunæ.

5 Considera legem, mores patrios, & circumstantias. Turca enim ex lege plures habet vxores. Mauri etiam plurimas, Christiani vnam. & iudicabis ergo inspecta constitutione generali, quæ prævalet singulari: neque enim frigefacit in æstate Saturnus.

De qualitate vxoris.

ARTIC. II.

1 SI stellæ, quibus Luna applicat, corpore, vel radio, sint bonæ, bonas coniuges dant, malæ malas. Hoc potius intellige tempore directionis, quando fit matrimonium. Expertus enim sum in Mastrillo applicationem Lunæ bonam subito, quando non poterat præ ætate vxorem accipere: postea verò non talem accepit, sed qualem directio indicauit, nec prorsus. Misce ergo iudicium radicis & directionis.

2 Si Saturno applicat, erunt laboriosæ & tetricæ. Si Ioui, familiam bene regentes & venerabiles. Si Marti, audaces, rebelles. Si Veneri, formosæ, gratiosæ, hilares. Si Mercurio, quæstuosæ, vtiles, mariti filiorúmque amantes. Sed cum Marte animosas, instabiles, variabiles. Hic nota regionum legem & mores à generali constitutione: vt apud Belgas vxores vendant, emant, negotientur, Neapoli lasciuiant, Florentiæ laborent, &c.

De marito.

ARTIC. III.

1 SOl in quartis orientalibus maritum dat in iuuenta, vel in senecta iuuenem: in occidentalibus in senectute, vel in iuuenta senem.

2 In

2 In signo vnius formæ, aut cum planeta vno, semel connubium : in multiformibus, aut pluribus planetis matutinis configuratus, pluries.

De qualitate mariti.

ARTIC. IV.

1 SAturnus configuratus Soli dat maritos compositos, commodos, industriosos: ♃ venerabiles, magnanimos: ♂ immorigeros, strenuos, à liberis & vxore alienos: ♀ iocundos, formosos: ☿ industrios, victui consulentes, agiles: ☽ cum ♄ ignauos, & in coitu frigidos: cum ♂ calidos, ad coitum procliues, adulteros: cum ☿ liberorum amantes.

De conuictu coniugum.

ARTIC. V.

1 QVando coniugum Luminaria amica radiatione se inuicem contuentur, multóque magis, si in mutua receptione reperiuntur, coniugium stabile, & cohabitatio constans designatur. Et multò magis, si Luna viri, & Sol vxoris ita se habent.

2 Quando verò hostiliter se aspiciunt, aut sunt in coniunctis, matrimonia dirimuntur, vel totaliter, vel solo thoro, vel animorum dissidio.

3 Si aphetæ aliqui, vel idem in vtrisque bene configuratur, erit idem, sed non ita constans. Similiter si malè, non constans dissidium. Tempora dissidij ostendent oppositæ directiones, & progressiones aphetarum, præsertim Luminarium.

4 Conuictus iocundus erit, & blandus, & vtilis, si Luminaria concordant, & beneficæ super eleuantur, aut configurantur : si maleficæ, contentiosus, inuerecundus, inuidus.

5 Si Luminaria discordant, & beneficæ configurantur, conuictum penè rescissum redintegrant, placant, & blandum reciprocúmque reddunt amorem. Si maleficæ, dirimunt cum contumelia, & execrationibus : addito ☿, etiam cum vociferationibus, improperiis, accusationibus : addita ♀, adulteriis, & incantationibus. fœdatur enim valde à maleficis.

De conuictu concubinario.

ARTIC. VI.

1 VEnus, Mars, & Saturnus, si cum Luminaribus congrediantur, indicant concubinatum cum consanguineis, familiaribus, affinibus, iuxta Veneris ad dictos affectionem.

2 Venus erga Martem affecta congressu, vel aspectu, cum iuuene consanguinea, quia habent in mutuis trigonis altitudines alternas.

3 Venus erga Saturnum cum seniore, quoniam in mutuis trigonis domos possident: quibus si ☿ accedat, non sine diuulgatione Venus & Mars amatorias indicant affectiones.

4 In promiscuis & familiaribus signis ♃ ☌ fratrum & cognatorum coniugationes decernunt. Item si in genesi masculorum Luna his constellationibus addatur, significat cum duabus, sororibus, aut consanguineis, concubinatum. In mulieris verò genesi Sol additus, cum duobus fratribus, aut cognatis.

5 Cum Saturno reperta in his Venus leues & stabiles hos concubinatus facit, additóque Mercurio vtiles: cum Marte instabiles, noxios, inuidia, zelóque mutuo plenos.

6 Qui Mars si illis configuratus fuerit coniunctione, cum æqualibus dat concubinatum: si occidentalior, cum prouectioribus: si orientalior, cum iunioribus. Fortè hoc decretum de Venere quoque intelligitur ex Cardano.

7 Si in promiscuis signis sunt ♀ & ♄, scilicet ♑ aut ♎, vbi vtrique habent dignitatem, cum affinibus dant concubitum. Atqui in horoscopo, & medio cœli, si fiat dicta configuratio, & Luna concurrat, viros facit cum matribus concumbere, aut cum matrum sororibus, aut cum nouerca. Fœminas cum filiis, aut priuignis, aut filiarum maritis. idémque dices si ♀ & ♄ commutant dignitatem.

8 Item si concurrat Sol, maximè cum occidentales fuerint planetæ, mares cum filiabus, aut priuignabus, aut filiorum vxoribus & filiarum sororibus: fœminæ cum patribus, aut patruis, aut vitrico concumbent.

9 Quando prædictæ configurationes non fient in signis vnius generis, in fœmininis locis & personis, efficiunt omnino ad venerea

nerea propenſos,& accinctos ad agendum & patiendum quocumque modo. In quibuſdam verò figuris flagitiosè obſcænos, vt in prioribus partibus Arietis ſtellati, & ſuculis: in poſterioribus Leonis ſtellati, & facie Capricorni.

Nota quod per genus non intelligit ſexum,ſed ſigna oppoſita ſimilia in ſexu,& cõtraria in natura: item,quæ in ſextili à contrariis planetis poſſidentur, vt in ♄ ☊ & ♂, in ☓ ♀ ♃. Per perſonas non intelligit natos, ſed effœminatos locos planetarum, id eſt in quartis occidentalibus à mundo, & à Sole, & cum planetis fœmininis.

10 Hæc figuratio in horoſcopo, & in medio cœli, hæc flagitia facit publica, manifeſtáque magis. In ſeptima, & imo cœli, damnoſa, quoniam eunuchos, ſteriles, ſpadones facit. Ergo extra angulos erunt abſque tanta infamia & læſione.

11 Mars accidens prædictæ conſtellationi mares facit abſciſſis genitalibus: fœminas verò maſculino more concumbentes, & omninò prauum quiddam in venereis habentes. Fortè obſtructas, vt Duciſſa Mantuæ.

De vi & moribus concumbendi.

ARTIC. VII.

1 MArs à Saturno & Venere ſeparatus, à Ioue adiutus, verecundos, puros in re venerea, & naturalem vſum ſectantes facit. Cum ſolo ☊ pigros,frigidos. Cum ♃ & ♀ agiles,cupidos, temperantes tamen, & infamiam fugientes. Cum ſola ♀, abſentibus ☊ & ♃, ſegnes ad negotia, ignauos, vndequaque voluptatem captantes.

2 Item ſi Mars ſimul veſpertinus eſt, & Venus matutina, tam marium, quàm fœminarum, congreſſu capietur, non tamen ſupra modum erga vtrumque ſexum. Si ambo veſpertini, ad fœminarum concubitum erunt procliues: ita vt etiam ſuccumbant ipſi vt fœmina, ſi eorum ſigna ſunt fœminina. Si vterque matutinus, ſolum pueros amabit. Síque etiam ſint in locis maſculinis, nullam ætatis maſculinæ rationem habebunt.

3 At ſi Venus occidentalior eſt, cum vilibus hominibus,ſeruis, aut alienigenis congredientur. Si Mars, cum eminentioribus ſe, ac dominabus. Mas videlicet coibit cum nobilioribus, ſi habet ♀ orientaliorem: cum ignobilioribus,ſi occidentaliorem.

4 In natiuitate fœminarum Venus cum ☿ aut ♃ configurata,

purè prudentérque tractantes venerea significat.

5 Sed absente Ioue, cum solo Mercurio, procliues facit ad venerea & cupidas, sed cautas, & ob cautionem pigriores, & plerunque turpitudinem fugientes.

6 Cum ♂ solo configurata, salaces, & concitatas ad coitum, sed segnes, si Iupiter accesserit.

7 Si ♂ sub radiis fuerit, cum seruis, alienigenis, & obscurioribus congredientes. Sin autem Venus sub radiis, cum superioribus, aut dominis meretricum, aut adulterarum consuetudine miscebuntur.

8 Si in locis aut figuris fœmininis erunt planetæ, ad patiendum solum fient procliues: si in masculinis, ad agendum, vt super viros & fœminas ascendentes in actu venereo.

9 Saturnus in prædicta configuratione conciliatus & effœminatus signo, vel occidentalitate, insolentis & pudendæ libidinis est author. Si orientalis, vel virilis, extiterit diuulgat flagitia, & affert reprehensiones propter illa. Mercurius addit celebriorem diuulgationem, & reprehensiones. Iupiter decentiorem amoris formam, & tectiorem.

10 Saturnus cum Marte in viris aliquam facit frigiditatem, & dedecus cum Venere: in mulieribus impedimenta, & coëundi impotentiam, & inuoluntatem. Similiter in viris Saturnus cum Venere, & in fœminis cum Marte aliquid huiusmodi facit. Item Saturnus Soli iunctus arcana rimatur, & pandit.

De filiis.

CAPVT X. ARTIC. I.

1 LArgitores filiorum sunt Iupiter, Luna, Venus: orbitatis authores, Saturnus, Sol, Mars. At Mercurius configuratus dat orientalis à Sole, negat occidentalis. Dat quidem ingenioſos, sed debiles, citóque permorituros.

2 Loca in quibus dant filios, vel negant, sunt medium cœli, & vndecima, si ibi sunt, aut configurentur: si autem nullus planeta ibi sit, aut configuretur, elige imum cœli, & quintam domum. In his enim dant aut tollunt filios, inquam ex coniugio, & magis & minus iuxta robur.

3 Largitores ergo ita siti simpliciter & solitarij vnicum quisque

dant

dant filium. At in bicorporeis,& fœmininis,& in fœcundis, videlicet ♋ ♍ ♐, plures aut duos. Idémque largitor potest dare plures & dissidentes aliter dispositus in aliis temporibus, non autem gemellos.

4 In signis masculinis, & planetæ masculini, vel orientales à Sole, dant masculos : in fœmininis,& fœminini,& occidentales, fœminas.

5 Largitores superati à maleficis, vel in signis sterilibus reperti, vt ♌ ♏, non pulchrè,neque constanter, neque diuturnas dant soboles.

6 Sol verò cum maleficis in præfatis locis, dat, sed breuis vitæ, vitiis corporis impeditos, valetudinarios,etiamsi in signis masculinis & sterilibus sint,dum tamen beneficæ suffragentur.

7 Largitores in locis præfatis, & in signis fœcundis,licèt maleficæ eis dominentur,si beneficæ suffragantur, dant sobolem, quoniam fœcunditas signi præualet : sed tamen exponunt, vt Romulum. At si non omnes largitores affliguntur,non omnes filij abdicantur,neque si non prorsus affliguntur.

8 Affliguntur fœminæ,si malefica est in fœminino, vt expertus sum:mares,si in masculino.

9 Iupiter iunctus cum ♀ configuratus præfatis domibus quotannis dat sobolem,vt probaui in Mastrillo,qui habet eos in nona domo in principio ♈:& in Stinca,qui in quinta domo in ♃ iunctos.& quidem rectè Arabes obseruare quintam comperio. Sexdecim filios Stinca habet ex vxore præter spurios.

De filiarum splendore & obscuritate.

ARTIC. II.

1 SI domini locorum,vbi sunt largitores,sunt orientales, & in propriis locis, vel personis, claros & illustres faciunt liberos:si occidentales, & in locis alterius sectæ, viles, obscurósque: mixtíque mixtos.

De habitu filiorum ad parentes.

ARTIC. III.

1 SI natiuitas filiorum conuenit cum horoscopo, & parte fortunæ parentum (vtrorumque enim geneses sic delineare

oportet) filij erunt amabiles & gratiosi,& venusti (illis inquam) & hæreditabunt. Si inconiunctio, & aduersus situs interfit, odiosi erunt, rebelles,noxiique parentibus,nec hæreditabunt.

2 Ptolemæi textus sic dicit.Et si(idest dominatores locorum, in quibus sunt largitores,vel in quibus filij decernuntur,credo)conueniunt cum horoscopo & fortuna,amabiles parẽtibus, gratiosos, & hæreditate fruentes:si inconiuncti aut ex aduerso siti, rebelles odiosos,noxios,bonis parentũ non succedentes.Ergo in natiuitate parentis inspicienda est sors filiorum ex dominis significatorum.

3 Contrarietas aphetarum nocet per verbera & odium : inconiunctio per abdicationem,& priuationem hæreditatis.

4 Malus significator in patris genesi mortem filij portendit in Haly,quamuis filij genitura cum paterna concordaret.At Cardani genitura cum filiorum discordabat:tamen vixere, quoniam salui erant significatores.

5 Memento quæ prius dicta sunt,quod concordia fortunæ filij cum Sole & Luna eiusdem,per manus tradit hæreditatem parentum.ergo multò magis si concordat cum parentum Luminaribus. In hostili aspectu,negat,vel noxiam dat.

De filiorum inter se inuicem habitu.

ARTIC. IV.

1 SI domini largitorum & locorum eorundem conueniunt inter se,fratres natos concordes dant, mutuò se iuuantes. Si inconiuncti sint,aut oppositi,inimicitiarum cupidos,& mutuo sibi insidiantes,quales filij Gerisi.

2 Conueniunt autem vel natura,vt ☌ ♄:vel qualitate,vti ♂ ☌: vel dignitate promiscua,vt ♄ ♂: vel commutatione dignitatum, vel aspectu,vel &c.

3 Pone largitorem nati pro horoscopo,erige figuram,& iudica de nato,prout de illa patris,ex nati effigurata themate:proiice sortem ab hoc nouo horoscopo,cæteros Planetas pone,vt in patre.

4 Habentes multos filios sunt fœlices, quoniam largitores sunt benefici,& in decima,vel vndecima,vel opposita bonis sitibus.

5 Ex directione M.C.sumitur tempus nasciturorum filiorum.Singulis annis quidam generant propter terminos & radios in radice, & progressu,& ingressu,si in radice sunt signa prolifica, & significatores non impediti.

De amicis & inimicis.

CAPVT XI. ARTIC. I.

1 SI Luminaria, & horoſcopus,& pars fortunæ ſint in eiſdem ſignis in natiuitatibus duorum,vel non diſtiterint pluſquam 17. gradus,aut loca mutuo permutauerint, faciunt amicitias perennes, ſinceras,nullis offenſionibus expoſitas:ſi ſint in oppoſitione non commutante,aut in inconiunctis, inimicitias maximas & diuturnas.

2 Si verò ſolum configurentur radio,amico vel inimico,faciunt amicitias mediocres, in quibus interdum interponitur ſimultas, & ſilentium, quando maleficæ has configurationes pertranſeunt: inimicitias verò mediocres,quas reconciliari accidat, ſi beneficæ in reuolutione, vel alio tempore ſuperueniant. Conſidera tamen mores,patriam,conſanguinitatem,fortunas vtriuſque:& ſic robur diſſidij & conſenſus.

3 Conuenientia,& diſconuenientia horoſcoporum,facit amicitiã & inimicitiam ratione voluptatis,& contumeliæ,ideſt in bono iocundo Luminarium,reſpectu honoris,&bonorum eligibilium honeſtorum. At fortunarum reſpectu vſus neceſſitatis,negotiationis, ideſt bonorum vtilium. Nota quod à Sole potius ob honeſtum, à Luna propter ſenſuales mores,& itinera,& collegia.

De eo qui cauſa eſt amicitiæ & odij.

ARTIC. II.

1 CAuſa amicitiæ vel odij eſt ille, in cuius natiuitate aphetícus locus,vel ſuccedens,eſt fortior quàm in altero.Succedens locus eſt ad quem peruenit aphetæ directio.

De lucro & damno alterutrius.

ARTIC. III.

1 QVi habet aſpectũ ſtellæ beneficæ in prædicto loco vberius lucratur ex amicitia, & plus damnificatur ex inimicitia, quàm

quàm ille qui caret, quoniam benefica non nocet alteri, sed ei potest noceri.

De tempore, quo amicitia & inimicitia temporanea contrahitur.

ARTIC. IV.

1 IN amicitiis, & inimicitiis temporaneis, considera, quando sidera alterius, præsertim aphetica, ad locos, vbi alter habet sidera propria (& è conuerso) perueniunt directione, progressione, vel transitu. quia tunc contrahitur amicitia, vel odium, & durant quantum ille concursus, donec separantur per 17. gradus, vel aliud superueniens sidus decretum eorum interturbat. Hæc separatio in ♄ per 17. gradus durat circiter tres annos à loco aphetico, non autem à Planeta: in cæteris pro qualitate motus. vt ex primo libro.

De fundamentis amicitiarum & inimicitiarum.

ARTIC. V.

1 SAturnus & Iupiter subeuntes mutua loca progignunt amicitias per conspirationes, aut agriculturam, aut hæreditarias successiones: ♄ & ♂ per rixas, insidias, eásque vltroneas, & ad faciendum malum: ♄ & ♀ per coniunctionem, & affinitatem citò labascentem, & ♄ & ☿ per largitiones, munera, mercaturas, & arcanorum communicationem.

2 Iupiter & Mars dignitatum & gubernationum causa: ♃ & ♀ ob publica munera religionis & oraculorum gratia: ♃ & ☿ ob disputationes, doctrinas, philosophiam, & similia.

3 Mars & Venus amorum, adulteriorum, otij ignaui gratia, instabiles tamen, & non rectissimè institutas: ♂ & ☿ inimicitias, vociferationes, & lites, libellos famosos, litterarum pragmaticarum & pharmacorum gratia: vt in eclipsi schismatis Veneti expertus sum.

4 Venus & Mercurius conuictus, ob eiusdem artis studium, aut musicæ, aut litterarum, aut diuinationum communicationem: aut fœminarum gratia.

5 ♄ &

5 ♄ & ♂ cum ♀ parum conuenientes faciunt amicitias.

De magnitudine & firmitate amicitiæ, & odij.

ARTIC. VI.

1 MAgnitudo & firmitas amicitiæ & inimicitiæ cognoſcitur ex permutatione planetarum prope loca aphetica, hoc eſt ☌, ☽, fortunæ, horoſcop. M. C. aut in angulis. Sunt enim ibi magnæ, euidentéſque, alibi paruæ, obſcuræque pro diſtantia.

De commoditatis agnitione ex illis.

ARTIC. VII.

1 COmmoditas, & damnum ex his proueniens, noſcitur ex inſpectione beneficarum ad hos planetas, dum loca commutant, vel maleficarum.

APPENDIX.

ARTIC. VIII.

1 INimicitia etiam ex commutatione planetarum oritur, ſed in locis oppoſitis, vel quadratis à radicalibus. Ego habeo ♃ in 4. ♎: tu ♂ in 3. ♋. quando ♃ meus erit in 3. ♑, & ♂ tuus in 4. ♎, inimicitia interferetur dignitatum gratia. Ab initio autem, & ſi in ſignis hoſtilibus fuere planetæ inimici, vt ♂ & ☿, etiam dum propria commutant, & non ſolum oppoſita, quoniam per ſe inimicantur.

De ſeruis.

CAPVT XII. ARTIC. I.

1 PRo ſeruis conſidera duodecimam domum, & dominos eius: nam ſi conuenienter ad præcipuos genituræ locos poſiti ſunt, aut repugnanter, tibi proſunt, vel nocent.

2 Ex domibus vilioribus configuratis duodecimæ etiam de seruis ratiocinabimur, vt ex 6. 8. addunt & 2. tam in radice considerando planetas ibi existentes, quàm in reuolutione & progressione. Si enim Mars ingreditur 6. habebis seruum infidelem: si Iupiter, lucrosum. & pro natura talium signorum, & dominorum, similiter philosophaberis.

3 Quando signum duodecimæ imperat horoscopo, vel domini duodecimæ sunt in præcipuis locis genituræ, & in M. C. vel alibi eleuati, præsertim super dominos horoscopi, tunc serui imperabunt domino suo: si in deiectis locis, & seruientibus, seruient viriliter à suo domino neglecti: si in septima domo, aut in oppositione dominorum horoscopi, vel quadrato, aduersabuntur hero suo: si in oppositione Solis, detrahent eius honori: si fortunæ, furabuntur diuitias eius: si, &c. pro qualitate horum. idem dic de amico dominante vel seruiente amicis, &c. & de bestiis quæ homini seruiunt.

4 Expertus sum ego, & Cardanus, mihi sponte seruire, qui in sexta domo mea, & in duodecima, magis autem qui in Libra seruiente Virgini signo meo habent aphetas, vel horoscopum.

5 Quilibet princeps habet aliquem ex vassallis sibi imperantem ob eleuationem præfatam stellis fixis roboratam: vt Tiberius Seianum: qui si prudens est, bonúsque, bonum erit principi, vt Pharaoni à Iosepho: si malus, malè, vt Carolo Magno à Gano. Et hi sæpe cadunt ex gratia, quoniam à stellis fixis fortunantur, immodica cupiditate afficientibus: quibus si contradicunt erraticæ, successus malus erit eis, vt Albaro de Luna, apud Ioannem secundum Regem Castellæ, & Aman apud Assuerum Regem Persarum, Medorúmque.

6 Bonum est seruire principibus, quorum genitura cum tua conueniet: & è contra, malum. Animalia inter seruos, aut diuitias, computabis.

De fortunis & diuitiis.

CAPVT XIII. ARTIC. I.

1 A Parte fortunæ diuitias venamur, quæ hoc insignitur charactere, ⊕.

2 Locus fortunæ hac ratione cognoscitur. Numera gradus Zodiaci

diaci qui ſunt inter Solem & Lunam in conſequentia, & proiice eos ad aſcendentem : ac vbi finiuntur, ibi ſigna fortunam : cuius Luna eſt quaſi horoſcopus : ideo quantum diſtat Sol à finitore, ſeu gradu horoſcopi, tantum fortuna à Luna.

3 Si Luna in conſequentia fertur magis quàm Sol, proiiciendi ſunt gradus in conſequentia : ſi verò magis in præcedentia, proiice in præcedentia.

4 Plures partes Arabes ſimiliter inuenere, quæ nihil ferè virium habent, aut inſenſiles : idcirco illas omittimus. Luminaria autem principantur in cœlo, & ex eorum radiatione id quo vita ſuſtentatur, ſignificari haud ineptè putatur.

De multiplici fortunatione.

ARTIC. II.

1 OCto modis magna fortuna habetur. Primò quando fortuna cũ ♃ coincidit fœliciter ſito : nam vndiq; affluunt diuitiæ. Secundò ſi ♀ in M.C. quoniam beneuolentiam, & elegantiam, & hinc bona largitur. Tertiò ſi ♃ in ſecunda domo, quoniam ad horoſcopum aſcendit, bonáque defert, vnde vita ſuſtentatur. M. C. quoque reſpicit. Quartò cum ☽ fuerit in horoſcopo, quoniam facit accommodos, & negotiis habiles. Quintò ☀ in occidente, quoniam illuſtrat horoſcopum, facit graues, iocundos, & in fine diuites, vt Nicolaum Daponte Ducem Venetorum. Sextò defluxus Lunæ & applicatio à fortuna, præſertim ſi Iouis aut Veneris defert radium. Septimò coniunctio ♃ & ♀ vel cum capite Draconis, vel aliqua fixa benigna, vel Luna : vel ſtella benigna cum fortuna, vel Sol, vel Luna in angulis. Octauò commutatio aut concordia fortunæ, aut Luminarium, aut horoſcopi, cum genitura fœlicium principum, vel reipublicæ, vel ciuitatis, licèt geneſis tua non ſit ſatis fœlix. Nam præualet conſtitutio generalior & maior. vnde qui non erant ex directione morituri, afflicta ciuitate moriuntur peſte.

2 Contrarias regulas extrahe pro paupertate, ſumendo ♄ pro ♃, & diſſidium pro concordia, & cadentes pro angulis, &c.

De diuitiis & mendicitatibus peculiarius.

ARTIC. III.

1 DOmini loci ☉, & primò in ſuis dignitatibus, ſecundò & bono ſitu ad Solem, tertiò & ad mundum, quartò & configurati ſtellis beneficis, vel ſuper quos beneficæ eleuantur, plurimas dant diuitias. Eleuatio auget diuitias, non mores, qui ſunt mediocritates, & ad extremitates trahuntur. ideò probiſſimi rarò ditiſſimi.

2 Si autem inſuper teſtimonio Luminarium iuuantur diuites, & inſuper illuſtres faciunt in hoc.

De occaſione, fundamento, & qualitate diuitiarum ex dominis fortunæ.

ARTIC. IV.

1 SAturnus diuitias largitur, cum eſt dominus fœliciter ſitus, vt ſupra, per ædificia, nauigationes, agriculturas, & occultis theſauris. Iupiter per præfecturas, ſacerdotia, legem. Mars per militiam, & exercitus ductationem, & à poteſtate gladij, & victoria. Venus per amicorum & fœminarum beneficia, & amorem, & religionis arcana. Mercurius per eloquentiam, & negotiationem, & literaturam, & induſtrias, prædicationéſque.

2 Peculiariter Saturnus conciliatus fortunæ, configuratus Ioui, hæreditates donat: maximè in ſuperioribus angulis hoc accidit, & Ioue in occidente in ſigno bicorporeo. Addo etiam magis ſi commutant dignitatem. Saturnus enim ſignificat malum, & in loco ♃ & M. C. bonum ex malo, ♃ verò in loco ♄ bonum in malo: & quia configurantur fortunæ, indicant diuitias ex alterius morte.

3 Si verò ſint in aliis locis ♄ & ♃ conciliati fortunæ, indicant hæreditates, ſed minus apparentes, minúſque grandes, & parum illuſtres pro loci dignitate.

4 Idem accidet lucrum ex mortuis, poſito ♃ in bicorporeo, vt ſupra: ac ſi Lunæ applicat, & in hoc inſuper ad aliorum procrea-

tionem

tionem ductus fit hæres: vt olim Lacedæmone vſus erat, vel apud Iudæos ad ſuſcitandum ſemen fratris. Apud nos verò id valet cum frater ſterilis fratri dat ducere vxorem, & inueſtit illum & filios hæreditate per teſtamentum, aut donationem, aut fit adoptatio.

De eodem ex configuratis aſtris ad fortunam & dominos eius.

ARTIC. V.

1 SI ſtellæ eiuſdem ſectæ configurantur gubernatoribus fortunæ hæreditates integras conſeruant, & augent: ſi contrariæ configurantur, aut eleuantur, peſſundant.

2 Si maleficæ configuratæ gubernatoribus concordant, rapinis, & fraudibus, & prauis artibus, opes augebunt, præſertim cum ☿: ſi diſcordent, à furibus, & vſurariis, & publicanis diripientur. Si beneficæ configurantur, aut eleuantur, & concordent iudiciis, fide, probitate, virtutéque augebunt, & acquirent diuitias: ſi diſcordent, iudiciis principum & poſſeſſoris vilipenſione perdent.

3 Mars diſperdit opes per rixas, ludos, venationes, dilapidationes. Venus per luxum, conuiuia, ſcorta, delitias, iniurias, otium. Saturnus infortuniis. Item Saturnus cum ♂ & ☿ facit alchymiſtas, qui falſificantes tandem monetas dabunt pœnas.

4 Fortuna ſub radiis Lunæ auget diuitias: ſub Solis non gaudet de hæreditate, dixit Ptolemæus in ſecundo. Sed Cardano non nocet, immo ibi fœliciter ſita dat à regibus ſtipendia. in oppoſitione verò & quadratis confiſcationem bonorum & ruinam.

5 Fortuna cum Luna in horoſcopo vitam robuſtam, & incrementa dat patrimonij, contractibus cum hominibus: ſed in trigono aſpectu, & ſextili Lunæ, per rationes publicas: in quadrato & oppoſitione, iacturam ex eiſdem contractibus, & rationibus publicis.

6 Domini fortunæ, cum ſunt domini opificij, dant diuitias ab opificio iuxta robur. Et ſi ſunt maleficæ per ſcelus dant, & fraudes in arte: magis autem ſi beneficæ conteſtantur, dant & in angulis etiam extra dignitates ſuas, & ex alienis malis: & multi ditantur, & glorificantur ex opificio, abſque fortuna, & Luminarium ſatellitio in ſitu fœlici.

De tempore diuitiarum.

ARTIC. VI.

1 AD venandum tempus diuitiarum respice stellarum id efficientium situm ad angulos, & succedentia loca. In centris enim statim dant: in angulis, in iuuentute: in succedentibus, in media ætate: in cadentibus, in senecta. Idem considera ex quartis cœli, & situ ad Solem, vt supra. Item ex cursus velocitate, & directione breui ipsius fortunæ.

2 Dirige etiam domum secundam, & consule semper statum dominorum fortunæ in transitibus, & progressibus. At in fortunæ directione, quia principio malè aspexit, nocet, licèt in principio non noceat: non autem qui non malè aspexit.

De dignitatibus & honoribus generaliter.

CAPVT XIV. ARTIC. I.

1 ALij euehuntur ad principatum, quia cum monarchæ genitura conueniunt, vt Agrippa cum Caligula. Alij quia sequuntur generalem regni constitutionem, qua filij & fratres succedunt regno: & hæc scitur ex primi regis genitura, & de his non est sermo præsens: sed qui euehuntur viribus, & fortuna, vt Sfortia, Castruccius, Iulius Cæsar, Pompilius. Regum genesis per hæreditatem non subest astris, nisi quoad vitam, & mores, non quoad regnum, quod ex generali est constitutione.

2 Si primogenitus habet genesim concordantem cum generali constitutione, præualebit in regno: sicut præualet Mars in æstate, cuius calori suus calor concordat particularis generali: si autem discordantem, vel amittet regnum, vel malè gubernabit: aut alter illi substituetur, vt Cœlestino, & Childerico. Bonum ergo est, strenuiores, & qui efficaciorem habent natiuitatem subrogare, non primogenitos.

De dignitatibus acquisitis testimonio astrorum.

ARTIC. II.

1 SI ambo Luminaria in signis masculinis, & in angulo fuerint, vel alterum in angulo maximè conditionarium, stipatum quinque erronibus, matutinis ad Solem, vespertinis autem ad Lunam, qui nascentur erunt reges, quamuis sint fossores, vt Sfortia, & Tamerlanus, & Macometus.

Hæc regula comprehendit regulos, & principes ciuitatum, nedum prouinciarum.

2 At si satellites simul sint in angulo, aut radios ad M. C. præsertim dextros, miserint, quoniam ascendunt, orbis imperium decernunt,, vt prædixit Trasyllus Tiberio apud Rhodum. si tamen vniuersalis constitutio non repugnat. Non enim potest esse, nisi vnus Imperator inter Christianos: plures autem habent tale satellitium: sed cum noceat saluti, facilè moriuntur, & alij regnant alio modo, vt primas apud Regem Seianus. Aliquando multi euehuntur, vt triginta sub Galieno, & Romæ decem-viri, & trium-viri. Item quot planetæ, tot genera principatuum: alij enim dominantur per sapientiam: vt Sanctus Thomas nunc inter Theologos, & Ptolemæus inter Mathematicos, quia dominus satellitij erat Mercurius illis. Alij plebeis, vt Cingarorum Capitanei ex Saturno. Alij Sacerdotibus, aut magistratibus, vt episcopi, & decani magistratuum ex Ioue. Alij molliori-bus, & mulieribus ex Venere, vt abbatissæ, & principes eunuchi inter fœminas Turcarum, & Marabuti inter Mauros. Alij militibus ex Marte, aut latronibus, aut artificibus laborioſis. Sunt in omni regno capita populorum, & marchiones, duces, comites, perpetui in christianismo cum successione: in macometismo sine successione. & his satisfacit satellitium dictis modis. Sed si quis habet constellationem potentissimam cum cometa, & fauore coniunctionum magnarum, ille eleuatur super omnes principes, vt Ottomanus, Tamerlanus, Macometus, Attila: non tamen super omnes mundi: dicitur sic imperium à parte, non à toto.

3 In præfata constellatione, si solus Sol in masculino fuerit, Lunáque in fœminino, & alterum in angulo, alterum extra, duces

ces tantum naſcentur, vitæ necíſque domini: vt Cæſar, Borgia, & Ezzelinus.

4 At ſi Luminare eſt in angulo maſculino, ſed ſatellites non ſunt in angulo, neque configurantur angulis, natus erit magnus natalium ſplendore, vel præfectura, vel ductatione exercitus; non autem ducatu, vt in præcedenti conſtitutione, ſicut Annibal.

5 Si Luminaria non ſunt in angulis, ſatellites autem ſint angulares, aut angulis configurati, natus non adipiſcetur dignitates illuſtriores, ſed in ſuo gradu remanebit ciuili, mediocriter eminens: vt rex natus, in regno; ſenator, in ordine ſenatorio; ſutor, in ſutoria; ferrarius, in ferraria: in qua tamen aliquantulum excellet inter compares.

6 Si neque Luminaria, neque ſatellites, in angulis, neque angulis configurati fuerint, natus erit obſcurus ad nullas dignitates promouendus. Quod verum eſt de dignitatibus ex fortuna, non ex virtutibus. videmus enim plures ob virtutes abſque teſtimonio ſatellitij præcellere.

7 Si neutrum Luminare in angulo, neque in maſculinis, neque ſtipatur à benefica vlla, naſcitur extremè abiectus, & animo infœlix. Nam quatenus cadunt ab angulis, ſunt morboſi: quatenus in fœmininis, viles: quatenus carent ſatellitio, amicorum fauore & ſequela ſunt deſtituti.

8 Alij ex his mixti fiunt ſtatus hominum, quos conſidera ex forma Luminarium, & ſtipationis, & ſatellitij dominio.

9 Conſidera in Luminaribus domos, angulos ſuccedentes, cadentes, principia, media, fines earum: ſigna maſculina, fœminina, diurna, nocturna, æquinoctiales, tropicos, trigonos, & dignitates, ſitum ad mundum. in qualitate ſatellitij, beneficas, maleficas, concordiam, diſcordiam, ſitum, dignitates, teſtimonium fixarum.

10 Pathici difficilè aſcendunt ad regnum, nec poſſunt illud tueri ob mollitiem, ſicuti Sardanapalus & Nero. Agathocles tamen pathicus habens Luminaria in ſignis fœmininis factus eſt rex, ſed Venerem habuit martialem. Pathici europæi non ſunt molles vt aſiatici apud Ptolemæum.

11 Nocet ſatellitium moribus, quoniam oſtenduntur à maleficis domini morum: & ſanitati ob idem: & quia Luna in maſculino non gaudet. Item experior peius eſſe ſi omnes ſatellites ſint in eodem ſigno: nam quando ad oppoſitum progreſſio peruenit

uenit ex paruo tranſitu maleficarum interit natus ſine teſtimonio directi. D. Franciſcus Caracciolus Neapolitanus omnes planetas habuit in duodecima domo, in ♈, ſtipantes ibi Lunam, ſed Saturnum orientaliſſimum omnium: Solem verò in ♉ in horoſcopo. Prædixi illi dignitatem non ſeparatam ex matrimonio filiæ Marchionis fratris proprij: meóq; ductu potitus eſt: & regnum adipiſci aptus erat, cum omnes planetæ ad M. C. mitterent radios dextros, niſi conſtitutio generalis obſtaret. Sed in anno 30. incipiente mortuus eſt, euntibus progreſſibus ad ſextam, & ✳ ad ſeptimam omnium planetarum, conteſtante ♄ antiſcio, & ♂ quadrato per tranſitum. Solebat etiam in omnibus progreſſibus malis ad mortem infirmari.

De dignitatibus, cauſa, robore, & qualitate.

ARTIC. III.

1 DOminus ſatellitij iudicat dignitatis rationem. Eſt autem dominus ſatellitij, Primò, qui habet carpentum in eo, & reſpicit, & eſt in angulo. Secundò qui habet carpentum & reſpicit. Tertiò deinde dominus domus. quod ſub radiis accipe. Quartò dominus exaltationis. Quinto dominus trigoni. Sextò dominus termini. Card. præponit dominum trigoni domino exaltationis, non rectè, niſi in reipublicæ magiſtratu.

2 Satellitij dominus ſi ſit circa beneficas eiuſdémque conditionis ſtellas, dignitas erit nato maior, & conſtantior. Si verò maleficis configuratur, aut non concordantibus, humilior, & incertior. Firmiſſimus ergo ſtatus eſt, ſi ſit benefica, dominus ſatellitij, & concordet: ſecundò ſi malefica, & concordet: tertiò ſi benefica diſcordans: quartò ſi malefica diſcordans. omnia enim turbat, augétque mala.

3 Vide etiam an ſit in angulo, & dignitate, & à Sole orientalis, & in M. C. magis quàm in horoſcopo, & ex hoc in ſeptima, inde in quarta, & an fixæ teſtificentur illi, &c.

4 Qualitas dignitatis à natura præfecti in ſatellitio ſumitur. Saturnus ergo dat illas opum vi, & reconditis diuitiis: ♃ & ♀ gratia, donis, præmiis, magnificentia, ſacerdotio, præfectura: ♂ expeditionibus, victoriis, ſubditorum terrore: ☿ intelligentia, eruditione, cura, & ordine ſuarum rerum: ✳ cum præſit illuſtrem

facit natalibus: ☽ legationibus, curſoria, & comitate vulgari.

5 Propterea ex Haly elige qualificatorem, Primò eum qui præeſt ſatellitio, & eſt in ſatellitio dignior. Secundò ſi nullus præeſt, cape potentiorem è ſatellitibus. Si omnes debiles, cape dominum ſatellitij. At ſi adſit dominus ſatellitij, & alter potentiſſimus in ſatellitio, elige vtrumque.

De opificio.

CAPVT XV. ARTIC. I.

1 PLaneta primus exiens è radiis Solis, idémque dominus M. C. ſimul, præſertimque ſi Lunæ applicat, eſt opificij ſignificator. Signum verò gubernatoris indicat proprietatem opificij. Gubernator eſt dominus loci ſignificatoris, vel illi configuratus. Idémque indicat qualitatem opificij.

2 Si Planeta idem non eſt exiens è radiis, & dominus M. C. & Lunæ applicans, cape eum, qui exit è radiis, & eſt in M. C. vel ſi non eſt, qui exit è radiis ſolum.

3 Si enim alius eſt exiens è radiis, alius in M. C. & alius Lunæ applicat, omnes elige: ſed potentior eſt primus, inde ſecundus, deinde tertius. Et quando plures ſunt primi, ſume potentiorem: & ſimiliter ex prædictis duobus, cui plura adſunt ſuffragia.

4 Si vero nullus eſt in M. C. neque matutinus à Sole, capiemus dominum medij cœli fortiorem pro ſignificatore exercitij, aut officij, aut ſtudij. Solent enim plerunque hi opificio vacare. Officium ergo, ſtudium, & exercitium ſuccedunt opificio. Sunt enim & reges aliquando opifices, vt Nero muſicæ, & Philippus Hiſpanus picturæ vacabat, quando planetam habent orientalem à Sole in ſatellitio culminante.

5 Nihil obſtat abſque his ſiderationibus etiam opifices fieri. Ptolemæus enim affirmatiuè loquitur, non negatiuè: & inclinationes docet, non arbitrarias educationes. D. Thomas ordinem artificiatis, efficaciam artificibus, dat ab afflatu ſiderum.

De ſubiecta materiæ proprietate in opificio ex ſignis.

ARTIC. II.

1 GVbernatores opificij iidémque qualificatores ſunt ♂ ♀ ☿, quando dominantur locis ſignificatorum, ſed materialis proprietas opificij à ſignis, in quibus reperiuntur gubernatores, dignoſcitur.

2 Artes contemplatiuæ ad ſigna tropica, & æquinoctialia; morales ad humana; imitatrices naturæ ad aquatica; expolientes ad quadrupedia ſpectant. Tropica, & æquinoctialia cape à ſitu Solis, cætera à ſtellatis figuris.

3 Humana ſiquidem indicant operationes, quæ arte & ſcientia fiunt, & ad hominum vſum pertinent. Quadrupedia ad res metallicas, negotiationes, ædificationes, fabriléſque artes. Tropica & æquinoctialia ad res tranſlatitias, ad rem geometricam, phyſicam, metaphyſicam, ruſticam, & medicam. Terreſtria & aquatilia ad res aquaticas, humidas, ad naualem, & herbariam. Item ad piſcationem, ad ſalſamenta, ad res funebres.

De qualitate opificij à gubernatoribus.

ARTIC. III.

1 ESſentia opificij eſt à ſignificatore exeunte radios: vel inueſtigatur à ſignis: qualitas à gubernatoribus ſignorum, & ſignis, vbi ipſi ſunt.

2 Mars, Venus, & Mercurius mobiliores cæteris planetis, quoniam artes motu animi corporíſque fiunt, ſunt qualificatores. Mars quidem artes gubernat laborioſas, poteſtatiui: Venus voluptuoſas appetitiui: Mercurius induſtrioſas cognoſcitiui, vt in Ethicis, mixti mixtas. Haly autem planetas etiam ſignificatores facit, ſed non recta ratione. poteſt tamen idem eſſe ſignificator, & qualificator. Configurantur cæteri planetæ ad qualificandum.

De qualificatione ex dictis planetis sigillatim.

ARTIC. IV.

1 MErcurius efficit scribas, grammaticos, à rationibus, doctores, mercatores, numularios, vates, astrologos, sacrificos, & omnino in litteris, & interpretatione, & in datis & acceptis occupatos. Idem Mercurius cum ♃ sibi suffragante facit alienorum bonorum moderatores, somniorum interpretes, in templis desidentes, vaticiniis victitantes, quasi diuino furore correptos. Idem cum ♃ legumlatores, rhetores, sophistas, sacerdotes, magnos, & cum magnatibus conuersantes. Idem cum ☀ medicos, vates, à rationibus, & consiliis regum, scriptores de regimine principum. Idem cum ☽ vates, oratores, principum cursores, tabellarios, typographos, histriones, & reipublicæ operam dantes.

Cum ♂ magistros gladiatorum, & stratagematum militarium, fabros armorum.

2 Venus efficit sola opifices vnguentorum, odorum, vinarios aromatarios, & id genus, qui vendant vnguenta, fucos fœminis, textores corollarum, hospitarios, pharmacopolas, textores, pigmentarios, pictores, vestiarios, artocreatum & bolorum delicatorum artifices, & mercatores. Si ♃ illi suffragetur, facit mercatores rerum voluptuosarum ad ornatum, & fruitionem, & ioculationes pertinentium, incantatores, veneficos, lenones, & hinc victitantes.

Si Iupiter, athletas, victores, in certamine honoratos, mulierum opera euectos, cum nobilibus conuersantes.

Si Mars, coquos, lenones, mulieribus imperantes, & pathicis, vt fit apud Turcas & Mauros.

Si Sol, educatores principum, sapientes politicarum & diuinarum rerum.

Si Luna, vates, otiosos, fullones, lauatrices, thermarum curatores, &c. Iuxta loci & dignitatis, & situs ad Solem & ad mundum, ista considera, vti diximus de gubernatoribus morum tractantes.

3 Mars cum Sole, ignibus operantes, fornacibus præfectos, bombardarios, fusores, vstulatores, æramentarios fabros. Sed sine Sole, operantes per ferrum, nauium compactores, fabros, agricolas,

las, lapidicidas, ſtructuras lapideas ædificantes, gemmarios, lignorum foſſores, & metallorum, horumque miniſtros. Sed in bono ſtatu, milites.

Cum ♄, facit nautas, qui ſentinam exhauriant, cloacarum expurgatores, lictores, coquos, carcerarios, qui balneis & lotionibus præſint. Cum ♂, milites, publicanos, calones, hoſpites, publicolas, portitores, victimarum cæſores, chirurgos. Cum ☽ curſores, itinerarios, venatores, noctambulos. Pro ſitu & ſignis iſta diſtingue.

De eodem vbi adſunt duo qualificatores, & cum configuratione aliorum.

ARTIC. V.

1 SI duo præſint opificio Mercurius & Venus, faciunt cãtilenis negotioſum, muſicis inſtrumentis, carmine, concentu, præſertim cum loca commutant: efficiunt cytharœdos, mimos, mangones, ſaltatores, organa muſica tractantes, in cera delineantes, textores, pictores.

Quibus ſi ♄ adſtipuletur, ornatum muliebrem diſtrahentes addunt, præter mala quæ diximus in qualitatibus animorum.

Si ♃, cauſidicos, à rationibus primos, reipublicæ operam nauantes, puerorum magiſtros, multitudini præfectos, vili, vel nobili, vel ſacerdotali, pro loci dignitate, &c. Si Sol, aut Luna, vti dictum eſt ſupra, miſce decreta.

2 Mars & Mercurius faciunt gubernatores, ſtatuarios, armorum opifices, fuſores, luctatores, medicos, chirurgos, delatores, falſarios, maleficos, ſculptores: Saturnoq; illis adiecto, carnifices, alienarum veſtium direptores, raptores, latrones, abactores, malis artibus victum quæritantes. Et cum ♀ & ♄ laniarios, coriarios, calceorum ſutores. Sed cum ♃ induſtrioſos, agiles, vehementes, curioſos, aliena opera ſubeuntes, & inde victitantes.

3 Venus & Mars præfecti faciunt tinctores, vnguentarios, tractantes æs, plumbum, aurum, argentum, & fundentes, aurifices, agricolas, medicamentarios, medicos.

Quibus ſi ♄ adſit, animalium curatores, veſpillones, funerũ deſignatores, qui nænias præcinant, diuinos, & vbi arcana ſacrorum, & luctus, & mactationes fiunt, verſantes. Si verò Iupiter, homines in ſacris verſantes, augures, ſacrificos, fiſcales religionis, fœminarum cætui præfectos, nuptiarum & connubiorum interpretes,

pretes, ex his viuentes, voluptuarios, iuxta ac temerarios, ac proinde periculis obiectos. Cum ☿, incantatores, lenones in malo ſitu: in bono, exorciſtas, acres concionatores, paranymphos connubiorum, tubicines, & muſicos militiæ. Cum Sole & Luna publicis negotiis iſta, & nobilioribus applicantur, & venerabilius tractantur.

4 Luna exiens Solis radios, præſidens loco ſignificatoris, concita cum Mercurio, in ♉ ♋ ♐, facit vates, ſacrificos, hydromanticos. In ♓ & ♓, ex mortuis vaticinantes, & dæmonum inuocatores. In ♍ & ♒, magos, aſtrologos, futurorum conſultos. In ♎ ♈ ♌, diuino furore correptos, ex ſomniis coniectantes, coniuratores, ſed plerumque falſos. Si verò Luna ad eclipſim properat, ſub terra maximè in ♉, facit dæmonum familiares, cum ipſis de nocte in nemoribus & antris conuerſantes, in cœtibus ſagarum. Hæc diximus ſecundum inclinationem: poteſt enim homo has propenſiones in bonum conuertere: vt qui ſurgunt noctu ad matutinas Dei laudes in cœtu monachorum, & in eccleſiis pernoctant, ſicut B. Dominicus. ſecundum noſtrum vſum, vel abuſum, fit nobis conſtellatio bona, vel mala. Miſce decreta ex horum mixturis.

De magnitudine, claritate, & obſcuritate opificij.

ARTIC. VI.

1 MEnſuram & magnitudinem ex gubernatorum vi pernoſces: namque gubernatores in angulis orientales opificia dant clariora, & famoſos opifices excellentes. Occidentales verò, & à centris delapſi, ſub alterius manu & imperio, hoc eſt opifices ſeruos, & mercenarios.

2 Item ſi beneficæ ſuperent, & eleuentur, ſignant opera illuſtria, lucroſa, inculpabilia, venuſta. A maleficis ſunt vilia, obſcura, non lucroſa, culpabilia.

3 Impedit Saturnus tarditate, tepiditate: Mars calore nimio, temeritate, importuna diuulgatione: vterque autem ob vaſtationes, & euerſiones.

4 Saturnus impedit artes & ſcientias: orientalis fructum tollit: occidentalis inhabiles, deſperantéſque exequi facit, quando eleuatur

uatur ſuper dominos opificij. Mars impedit præcipitatione conſilij & leuitate.

5 Saturnus deterior in ſeptima,inde in horoſcopo,in decima,in quarta, per ordinem. Mars verò in decima priùs, mox in ſeptima, prima, quarta,per ordinem. Hic caue, quoniam ſunt natiuitates, quæ videntur optimæ ex poſitu Luminarium & ſignorum:ſed eleuatio maleficæ ſuper,omnem deprauat geneſim.& è contra in eleuatione beneficæ dices.

De tempore vtilitatis opificiorum.

ARTIC. VII.

1 TEmpus noſcitur ex horum accidentium authoribus aſtris: vt ſi orientales, veloces, in angulo,citius:è contra,tardius. Particulariter verò ex directionibus,& progreſſibus,& tranſitibus, vt in ſequenti libro.

De peregrinatione, & itineribus.

CAPVT XVI. ARTIC. I.

1 SIgnificatores itinerum ſunt Sol, quoniam ſignat totum hominem : Luna ob ſuam mobilitatem : Mars, quoniam æſtu ſuo incitat ad motum : & fortuna, quoniam eius gratia nihil non aggredimur,exque Luminaribus accipitur.

2 Loca in quibus poſiti ſignificatores dant itinera ſunt angulus occidentalis,quoniam ſignificat mortem, & abſentiam mortis vicariam: itémque omnes domus cadentes, præcipuè autem nona ad magna itinera, tertiáque ad parua. Sed Tobias noſter in quinta habet ſignificatores, & in quarta, Dux Nuceriæ in ſexta & ſeptima,qui totam per Europam peregrinati ſunt.

3 Luna,ait Ptolemæus,in ſeptima,& in omnibus cadentibus,peregrinationes dat.

4 Idem facit ♂ in ſeptima, & in nona cadente Sole, ex Cardano (ſed fallitur) quando Luminaribus oppoſitione, vel quadrato, vel antiſcio configuratur. Geneſis Binæ noſtræ his contradicit.

5 Cum his ita poſitis fuerit fortuna in ſeptima, vel cadentibus,

dentibus, totam vitam in peregrinatione, & extra patriam, vt mihi.

6 Signa etiam mobilia ad itinera conferre multum sæpe deprehendi: & sufficere, si domini significatorum cadant ab angulis.

De sitibus erga quos significatur peregrinatio.

ARTIC. II.

1 LVminaria & ♂ & fortuna in quadrantibus orientalibus, videlicet primo & tertio, dant iter ad ortum & meridiem: in occidentalibus ad occasum & Septentrionem. Hoc autem intellige disiunctiuè aliquando, aliquando mixtim, pro loci natura.

2 Considera latitudinem Lunæ & ♂, siue borealem, siue australem, ascendentem, vel descendentem. ex his enim situs simplices & mixtos agnosces.

De magnitudine & breuitate itinerum.

ARTIC. III.

1 QVo magis significatores fuerint in cadentibus, & in septima: itémque quo plures, & in signis mobilibus, eò longiores, & plures indicantur peregrinationes. & è conuerso. Inspice & configurationes.

2 Vide etiam habentes stellam martialem in horoscopo sæpissime ad itinerandum incitari.

3 Signa etiam in quibus sunt significatores itineris, & gubernatores significatorum, & quæ significant iter, vt septima, & cadentes, adde itineris subiectum, qui est horoscopus, si sunt vnius figuræ rarò, & non nisi quando commodum est, dant iter: si bicorporea, & multiformia, sæpius & continuum, multóque tempore.

De fortunatione & qualitate itineris.

ARTIC. IV.

1 FOrtunatio, & qualitas à dominis locorum itineris, & à configuratis astris, non à significatoribus, agnoscitur.

2 Nam

2 Nam beneficæ hæc loca intuendo, vel ſuccedendo dominis peregrinationis, præſtant honorificas peregrinationes, lucroſas, & celeres reditus, expeditóſque. Maleficæ verò, laborioſas, damnoſas, periculoſas, impeditos reditus. hoc idem intelligitur, dum occurſant directioni horoſcopi, qui eſt itineris ſubiectum, vbi ad ſignificatores, vel gubernatores directio peruenit, & progreſſio.

3 Iupiter & Venus domini locorum, itinerum, & Luminarium, ſecuras, & placidas dant peregrinationes: vt gratia legationis, & præfecturæ, prædicationis, &c. Fauebit aër, & omnia neceſſaria affluent abſque indigentia. quibus accedens Mercurius adiumenta & dona accumulabit.

4 Saturnus verò & Mars eorundem locorum domini, aut Luminaria occupantes, præſertim ſi mutuo opponuntur ſibi, dabunt itinera inutilia, periculoſiſſima.

Et in humidis ſignis reperti, per nauigationes difficiles, & naufragia: aut per inuia & deſerta. In fixis verò per præcipitia, & tempeſtates ventorum. In tropicis, & æquinoctialibus, per inopiam rerum, & affectam valetudinem. In figuris humanis per latrocinia, inſidias, principum violentiam. In terreſtribus per ferarum inuaſiones, aut terræ concuſſiones. Accedentéque Mercurio, per periculoſas accuſationes, & per reptilium & aliorum venenatorum ictus, & per meteorologicas paſſiones.

De cauſis itinerum.

ARTIC. V.

1 CAuſa itineris & vtilitatis & iacturæ noſcitur in præfatis ſignis huius quæſiti ex ſignificatore, qui eſt cauſa itineris, & ex locis, qui configurantur huic loco principali, aut, ſi adſint configurati, & ex his, qui ibi dominantur: & ſemper elige principaliorem ſignificatorem, vel configuratum.

2 Qui ſi dominatur fortunæ, erit iter cauſa opum: ſi Soli, cauſa honoris & dignitatis: ſi horoſcopo, propter valetudinem: ſi M. C. propter opificium, & ſtudium.

3 Idem continget ſi aſpiciat tales apheticos ſignificatores, licèt non dominetur.

De tempore.

ARTIC. VI.

1 TEmpus ex horoſcopi directione, & progreſſu ad gubernatorum & ſignificatorum ſitum vel aſpectum, habebitur generaliter, vt ſuprà.

De mortis qualitate generatim.

CAPVT XVII. ARTIC. I.

1 DIximus cum de vitæ ſpatio ageremus tunc mori hominem cum princeps apheta peruenerit per directionem, aut validos progreſſus, & tranſitus, ad angulum occidentis, vel ad proprium quadratum, vel ad corpus maleficarum, vel ad eorum oppoſitiones, & quadrata, & antiſcia: vel Solis, & Lunæ, & Mercurij imbutorum radiis maleficorum. Nunc autem de mortis qualitate agendum reſtat.

2 Conſideranda ſunt aſtra, quæ locum interficientem ſequuntur, aut applicant, vel præcedunt, & iuxta illorum naturam genus iudicabis, coniungendo eorum ſignificata, tam pro ſigniferi, quàm terminorum natura.

3 Ergo non interfector, neque ſignum, neque dominus ſigni, nec planeta configuratus interfectori, qualificant mortem.

4 Sed primus qualificator eſt locus ſuccedens, vel planeta ſuccedens ordine ſignorum. Secundus eſt dominus termini illius gradus, in quo mortalis directio fit. Tertius eſt ſignum interfectoris. Quartus ſtella vel planeta configurata loco ſuccedenti. Et hi qualificatores vocantur prothanati.

De mortis qualitate ex prothanatorum natura ſigillatim.

ARTIC. II.

1 SAturnus morti præfectus, ideſt prothanatus, mortem adducit per morbos diuturnos, tabes, humorum defluxus, febres,

bres, hydropiſes, colicas, vterique affectiones, cancros, lepras, & quotquot ex frigoris eueniunt multitudine, & ex melancholia, & retentiuis affectibus. Quas autem partes magis afficiat, dictum eſt cum de morbis ageremus.

2 Iupiter ab angina, peripneumonia, apoplexia, conuulſione, capitis doloribus, ſtomachi, & quotquot à pulmonis, & ſanguinis, & digeſtiuæ peruerſa affectione proueniunt.

3 Mars à febribus continuis, tertianis, repentinis plagis, renum affectionibus, ſanguinis excretionibus, defluxu, abortionibus, partu, igne ſacro, peſtilentibus morbis, & ſalſis, bilioſiſque, quique per inflammationem & feruorem fiunt, & à bile.

4 Venus per ſtomachi, & hepatis affectiones, impetigines, dyſenteriam. Amplius per vlcera, puſtulas, fiſtulas, luem veneream, & adhibita pharmaca, atque quotquot humore nimium increſcente, ac corrupto fiunt, & appetitiuæ damno & ſeminis & lactis.

5 Mercurius per inſaniam, amentiam, ex atræ bilis affluentia proficiſcentes, lapſus per comitialem morbum, tuſſes, crebras expuitiones, & quotquot ſiccitate copioſa & corrupta conſtant, & ſpirituum afflictione, vociferatione, mutitate.

6 Ex his patet, quod quamuis beneficæ non poſſint eſſe interfectores, poſſunt tamen eſſe prothanati, non quo lædunt, ſed quo læduntur.

7 Memento partes afficiendas in corpore ex natura ſignorum, vt dictum eſt, cum ageremus de vitiis & malis: itémque ex natura planetarum membra peculiaria gubernantium. Ex his enim & ex nunc dictis facilè mortis qualitatem, & modos intelliges: ſi tamen medicinam callueris, & quis humor cui planetæ debeatur. & quoniam fiunt morbi ex febribus, ſcias quam febrem cui adſcribas: nam quartana Saturno, tertiana Marti, quotidiana Veneri, continua Mercurio & Marti, ephemera Ioui & Veneri. Item inſpice cauſas, quæ ſunt diſtillatio, obſtructio, inflammatio, inflatio, repletio, exinanitio: prima & ſecunda ſunt Saturni, tertia Martis, quarta Mercurij & Iouis, quinta Lunæ, ſexta ☿ cum Luna decreſcente. Conſidera cauſas, & locos, & genus doloris, & periodos: nam ſtatim patebit, cui ſit planetæ adſcribendum iuxta proprietates. vide V. medicinalium.

De morte violenta generaliter.

ARTIC. III.

1 DIctum est de morte naturali à prothanatis existentibus in locis conuenientibus sibi, à nullo potente maligniorem & illustriorem obitum reddere superatis. nunc de violenta.

2 Violenta mors decernitur, cum aut vterque maleficus loco interemptorio dominatur, aut hostiliter ipsum aspicit natura hostili, ideſt quod non sit dominus loci.

3 Item cum maleficæ vtrumque Luminare, vel prothanatum, damnauerint coniunctione, vel aspectu hostili, vel antiscio, vel eleuatione, & tunc erit mors publica, ratione Luminarium.

De violenta speciatim ex 11.

ARTIC. IV.

1 SIcuti genus mortis ab astrorum ad prothanatos, vel Luminaria, intuitu, vel maleficarum alterutrum aspicientium, & à signis tam in Zodiaco, quàm extra, à maleficis occupatis: sic magnitudo à Luminaribus cognoscitur, præsertim cadentibus: quoniam ibi plus afficiuntur, & facilius super ipsa eleuantur maleficæ, quæ maximè occidunt, & crudelius cum sunt in angulis.

2 Saturnus igitur præter conditionem feriens Solem quadrato alióve diro intuitu in signis fixis à multitudine obruendos suffocandóve indicat, si ita occidat, Lunáque succedat.

3 In feralibus verò à feris dilaniandos.

4 Et cum suffragio Iouis maleficio imbuti imperantis anæretæ, expositos publicè feris.

5 In occasu seu Soli, seu Lunæ, oppositus mortem in carcere.

6 Idem Saturnus configuratus Mercurio in signis serpentinis, aut terrestribus, venenatorum ictu occidit. Quibus si Venus accedat, veneficiis, & fœminarum dolis.

7 Idem Saturnus Lunæ in aqueis, vel in Virgine, configuratus suffocat aquis, & circa Argo nauem etiam naufragiis.

8 Saturnus in tropicis Soli coniunctus, aut configuratus hostiliter, aut Marti oppositus, ruina opprimendos decernit: præsertim

tim in medio cœli ab alto præcipitandos, & cum Mercurio etiam ſuſpendendos.

9 Tria ergo requiruntur, vt Saturnus ſic occidat. Primò vt infeſtus ſit prothanato. Secundò vt feriat hoſtiliter Luminare, aut Mercurium, ſi eſt dominus loci Martis. Tertiò non generaliter, ſed plerumque, vt ſit in occaſu, vel medio cœli.

10 Ergo ſi in radice non dominatur planeta loco aphetico productiuo talis effectus, non pollicetur. Sic neque ♄ interficiet, niſi ab initio feriat Luminare, aut prothanatum: vnde & ab initio præſagimus mortem pueris, cum videmus eos ſæpe præcipitari, aut vulnerari. maleficij enim quandocunque quid poteſt paratus eſt ad futuram mortem. Vidi quatuor hucuſque mutilatos rixa, poſt tempora occiſos.

11 Conſidera & fixarum configurationem, & genus mortis regionis: neque enim Itali ſuſpendunt nobilem, ſed truncant capite. Turcæ palo infigunt.

De violenta morte ex ♂.

ARTIÇ. V.

1 MArs Solem præter conditionem afficiens, aut Lunæ hoſtiliter infenſus in ſignis figuræ humanæ, occidit ſeditione, bello, aut propria manu.

2 Cui ſi conteſtificetur Venus, fœminarum operam addit interfectioni.

3 Cum Mercurio à piratis, aut latronibus, aut maleficis.

4 In mutilatis, aut imperfectis ſignis, aut circa caput Meduſæ, mutilandos aut decollandos decernit.

5 In Scorpione & Sagittario, vſtionibus, ſectionibus, aut medicorum reuulſionibus.

6 In medio cœli, vel imo cœli, crucifigendos, maximè circa Cepheum, & Andromedam. Cruci ſuccedit nunc palus, rota, furca.

7 In occaſu horoſcopi oppoſitus, viuos comburendos.

8 In quadrupedibus, ruina, aut diſtractione, morituros.

9 Síque Iupiter deprauatus teſtificetur, illuſtri mortis genere, hoc eſt condemnatione, & ira principum.

10 Mars in prima domo & combuſſit, quia ſeptima aſpexit & ✱ in M. C.

11 Nodus cum maleficis & propriè cum ♂ significat membrorum lacerationem.

De violenta ex duplici malefica.

ARTIC. VI.

1 DVæ maleficæ simul oppositæ augent mortis malitiam in præfatis constellationibus.

2 Qualitas augmenti cognoscitur ex principe, gubernatore loci interemptorij multis concurrentibus, & in genere, & in magnitudine, quando vterque ad loca interemptoria aliquam rationem habet. Tales enim etiam sepultura orbati, à feris, vel auibus absumuntur pro signorum forma, in quibus reperiuntur maleficæ, cum nec vllus beneficus est super terram, qui interemptoriis locis occurrat.

3 Igitur interfector, qui semper est maleficus essentia vel officio, & alius maleficus oppugnans locum interemptorium, faciunt mortem violentam, quam Luminaria non qualificant, sed illustrant, & augent: dominus autem loci interimentis princeps qualitatem augmenti mortis declarat. Hic princeps prothanatus primus non est, cum ille sit succedens radius secundi malefici, qui mortem auget: sed vel secundus prothanatus, qui est dominus termini, vel signi. signum autem declarat etiam genus, si ferale, aquaticum, serpentinum, &c.

De morte extra patriam.

ARTIC. VII.

1 PEregrè moriuntur, quorum planetæ loca interemptoria occupantes cadunt ab angulis: præsertim si Luna itinerum domina occurrit, aut hostiliter intuetur: idest cum planetæ succedentes loco anæretæ, vel domini secundi prothanati, sunt in cadentibus, quoniam cadentes absentiam significant, præsertim Luminaria, & quando horoscopum non aspiciunt.

2 Arabes considerant, an dominus octauæ, quam morti dedicant, sit inconiunctus horoscopo: nec immeritò, si talis vis esset in octaua: sed cum mors à loco anæretico celebretur, dominus loci illius est considerandus.

3 Vidi

3 Vidi violenta obtruncatum ſecuri hominem, qui ♄ habebat in M. C. cum Sole in Aquario, quando ad oppoſitum ♂, qui erat in nona in ♑, peruenit progreſſio maleficis infeſtata. Alterum, qui habet ♄ in medio cœli, cum Azimech, ferientem quadrato Solem in occidente in ♋: & Lunam in oriente in ♑, diris tormentis & igne tortum ex antiſcio ♂ in ♍, monetæ adulteratæ cauſa: & adhuc manet in ſuſpendij periculo. & hi ambo extra patriam. Pontium verò à ♂ in decima occiſum ex horoſcopi offenſi & Luminarium teſtimonio.

4 Primò vide tempus mortis. Secundò vtrum eo tempore ſignificatores indicent iter. Tertiò vide ad quam regionem, & quàm diuturnum. Quartò conjecta ex hora mortis, in quo itineris loco eſſe poteſt & habebis locum. Quintò vide naturalíſne, an violenta. Sextò an publica: tunc enim erit in metropoli. ſi clam, in via, vel villa. Septimò conſidera cauſas mortis & genus in illo loco, furcáne an ſecuri, &c.

5 Qui habent maleficas ſuccedentes loco interemptorio, ſed à longè, media morte morientur, inter naturalem & violentam, vt ex metu, vel medicina malè applicata.

6 Datur etiam mors illuſtris naturalis, qualis Chilonis ſapientis, quando videlicet vnus eſt interfector, nullúſque maleficus configuratur, ſed Luminare, radiis, non hoſtilibus, nec maleficio affectis.

ASTRO

ASTROLOGICORVM
LIBER QVINTVS.

De temporibus euentuum sidereorum.

Præter causas vniuersales, particulares simul in euentuum temporibus, & ratione, considerandas esse.

Caput I. Artic. I.

1 Effectvs vniuersalium causarum, priorúmque, à particularibus causis modificantur, non autem tolluntur, nec occultantur. Particularium verò ab vniuersalibus, etsi non penitus tolluntur, occultantur tamen: sæpe autem & auferuntur.

2 Nullum sidus efficere potest, quin Sol vniuersalior causa efficiat æstum in ♋, & ♌: neque frigidus Saturnus cum Luna poterunt illum tunc tollere, aut occultare, sed tantillum moderari. Sic neque in Æthyopia Iupiter albos faciet, quos Sol feruens fuscat. Neque potest Mercurij optima occursatio in infantia efficere puellum doctorem. generalior enim est infantiæ causa & prior. Potest tamen aliquid vmbratile futurę scientiæ in eo ostentare. Potest è contra Sol Saturni frigus occultare, & tollere, & Iouis alborem in Æthyopia, & ætatis lunariæ mollities scitam indolem pueri aliquando & auferre.

3 Quapropter nihil mirum, si pestis occidit ciues plurimos absque particularium natiuitatum consensu, aut cum paruo, vt bellum, quos directio non damnauit, & nauis submersio plurimos in ea nauigantes. Subiunguntur enim isti omnes constitutioni

generali

generali cometarum, aut coniunctionum magnarum, aut alteri ruinam ciuitatis decernenti, & constitutioni nauis ruinam facienti. Qui autem vnum fiunt aliquo pacto, aut ciuitate, aut amicitia, aut consanguinitate, aut contubernio, aut nauigatione, aut militia, eisdem malis bonisque subiiciuntur. Vnde multi eximuntur mutantes locum: multique in illo loco euadunt, quorum aphetæ fortissimi. Si id Picus considerasset, non sic Astrologiam condemnasset.

4 Si constitutio generalis bona, vel mala, est debilis, afficiuntur qui bonas vel malas habent genituras, & commutant loca aphetica cum constellatione, vel sunt in intuitu sufficienti.

5 Si validior, qui commutant, & non habent repugnantem genituram.

6 Si quàm validior, qui præclaras in bono vel malo habent genituras, & solum commutant in processibus.

7 Si validissima, qui solum commutant in processibus.

8 Si quàm validissima, qui opportunas habent genituras, etiam si non commutent in processibus.

9 Si perquàm validissima, omnes qui loco & secta conueniunt, vt Turcæ sub Ottomano Primo principe, & Romani sub Iulio Cæsare.

10 Oportet ergo Astrologum esse historiarum peritissimum, & cosmographiæ & chronologiæ, qui sciat leges & mores gentium, & temperaturas, & climata, & sub quibus constellationibus leges & mores introducti sunt, & durationes metiri, & sub qua anomalia, & excentricitate, & obliquitate, & absside, & triplicitate, & coniunctione magna, & cometa, morum, legum, ciuitatum, & principatuum initia cœpere. Sic enim de vxore, & moribus, & opificio, & de temperatura, & mortis genere, & de cunctis facile coniectabit, vniuersalibus constitutionibus particulares genituras conferendo, vti frigus Saturni cum quarta anni.

11 Videtur solus Deus omnium causarum magnarum, & paruarum, præteritarum, & præsentium, & concausarum, & mixturas, & moderationes, & effectuum durationes, & temperaturas, & applicationes ad singularem effectum inter fati seriem harmonicam positum intelligere. Nos autem pauciſſimas nouimus: nec propterea desistendum, sed audendum duce Deo, qui nostram non amat ignorantiam, neque arrogantiam. In magnis

voluisse sat est. vt quimus, non vt volumus, ne nos accuset S. Isaias quod impossibilia & prophetica per Astrologiam audemus, sicuti Iob quod gubernatum Dei per politicam prudentiam arripimus macchiauellisticè.

De euentuum temporibus in genituris.

ARTIC. II.

1 PRimò considera regionem, in qua est natus, trigonúmque cui subiicitur: deinde legem & mores, deinde ciuitatem, deinde familiam nati: deinde ætatem: aliud enim de vxore pronunciabimus Turcæ & Christiano, & aliter Italo & Dano, & aliter puero & viro & seni: sic de vita & colore, vbi & familiam considerabis.

2 Sicuti se habent quartæ in anno, sic ætatum distinctiones in homine, tanquam causæ generales: deinde perueniemus ad particulares, sicut ad menses & dies ibi: hic ad tempora particularia per directiones, progressiones, & transitus.

De ætatum ratione.

ARTIC. III.

1 QVatuor primos annos à natiuitate gubernat Luna, quoniam illi congruit corporis humiditas infantilis, imbecillitas, augmentum subitum, inconstantia valetudinis, & in mente omnia inchoata, & inemendata, vt in Lunæ varietate, & exordio, & quia est telluri nostræ propinquior.

2 Mercurius decennium proximum gubernat, animum incipit componere, dat sermonem, intelligentiæ disciplinarúmque elementa & semina, morum & studiorum peculiares conditiones ostentat, præparátque, primísque exercitiis initiat.

3 Venus sequens octennium gubernat vsque ad annum 22. seminales meatus mouet, & implet, ad coitum stimulat, incitat insania miseráque cupidine versari in errore & cæcitate, etiam apertis oculis.

4 Sol videtur Ptolemæo sequentem ætatem iuuenilem gubernare annis 19. vsque ad 41. quoniam post lasciuiam ♀ sui iuris

vsum

vſum animo concedit, rei familiaris & honoris cupiditatem, vitæ modum iniicit, puerili vanitate, inconſtantia, peccatíſque amotis, pudoris, honeſtatis, iuris amorem conciliat. Mihi autem videtur Mars potius conſequentem gubernatum vſque ad 36. annum regere: neque enim vera honeſtas & maieſtas ante hoc tempus acquiritur, iuríſque amor; ſed martiales vires & cupiditates. deinde vſque ad 56. Sol ſuas oſtendit indicationes memoratas.

5 Mars enim (ait Ptolemæus) quindecim annos regit, vitæ triſtitiam, & malitiam adducit, curis ac doloribus animum & corpus implet, ſenſum inſtillans, ac cogitationes ætatis defloreſcentis, inſtigãs ad memorabile aliquod facinus antè obitum laboriosè perficiendum. Hæc ille. verum iſta ambitio eſt potius à Sole. Martis eſt cupiditates irregulatas dare, vt vires corporis validas, & iras ſæuas, quæ omnia in 41. potius ceſſant, quàm incipiant. Item nulla ætas periculoſior quàm quæ à 22. vſque ad 37.

6 Iupiter duodecim annos regit vſque ad 68. iubens declinare paulatim laborioſum & turbulentum viuendi genus, & decentius, officioſius, quietius, ſanctiúſque capeſſere, veritatem de ſe fateri, omiſſa ambitione intelligere nihil eſſe honores & voluptates humanas, neque ſcientiam eſſe certam: & qui prius videbamur nobis ſapientes aliqua in re, in eadem dubios facit & ſocraticos. Item nil præcipitanter agere, alios admonere, & conſolari, honoris & laudis & liberalitatis ſtudioſum eſſe cum parcitate, pudore, & ingenuitate.

7 Saturnus extremam ſenectam poſt annum 68. per 30. vſque ad 98. regit, cum vires corporis impeditæ, ac frigeſcentes apparent, & in concitatioribus voluptatibus natura languens neruis deſtituitur, vita iam conuulſa, miſera, & infirma, expoſita offenſis, & ad omnes moroſa motus, virium ignauia. Tunc inconfidentia in ſuis viribus expellit fiduciam in bonis exterioribus. vnde auaritia ſequitur, & religionis promiſſa volumus eſſe vera alteram vitam deſiderantes, & eius acquiſitioni ſtudentes, & vitæ præſenti deditos accuſamus, ſumus loquaces, vt ſaltem sic viuere videamur, aut noſtri memoriam in fixis verbis relinquamus.

APPENDIX.

Examen prædictorum de ætatibus.

ARTIC. IV.

1 RElquum vitæ totum Saturno dat Ptolemæus, sed cum visi sint homines repuerascere etiam nostris temporibus, & ad 300. annos viuere, sicut quidam Tarentinus, & monacha quædam Saguntina, & alius Asturicensis, & alius Gallus, quorum meminit Delrius in libro Magicarum disquisitionum, ita vt colorem, vires, vocémque iuuenilem recuperarint: dicendum est ad Lunam aliquando reuerti, post Saturni periodum: cum videlicet omnes planetæ consenserint tempore directionum senilium ad lunarem ætatem reficiendam, loca aphetica aphetis occupantibus, & quibusdam amicè aspicientibus. Neque potest fieri etiam post 36. millia annorum, vt imperitè putat Albumasar, quod omnes cœli circulationes simul ad originalia puncta reuertantur. vt in Metaphysica docuimus.

2 Sciendum quod Ptolemæus ordinem planetarum secundum sua dogmata seruauit, non satis secundum veritatem, neque secundum obseruata pythagorica, & copernicea. Non enim ☿ & ♀ epicyclum sub Sole habent, sed Solem circumdant: ita quod aliquando suprà, aliquando infrà reperiuntur. Constat autem Venerem viciniorem in ima abside esse telluri, quàm ☿. ergo sequens ætas post lunarem potius Veneri dicanda esset. Et quidem si temperamenti humiditatem consideres, Veneri conuenit non autem Mercurio: si fœcunditatem, Mercurio non Veneri: incipit enim 14. anno virtus prolifica. Sed & tunc Mercurius habet partes suas: nam iuuenculi sunt quasi hermaphroditi: quod à ☿ habent. Itaque verum est, quod situs sit considerandus planetarum: & quod ☿ & ♀ coniuncti sint in ætatum regimine. Sed quia frequentior nobis propinquat Mercurius, & linguæ rudimenta à quadriennio incipiunt, erit ipse princeps vsque ad 14. Venus autem secundus dominus à 14. ad 22. principatur Venus: sed Mercurius concomitatur: vnde & tunc scientias, & disputationes magis acquirimus. Prætereà dedi Martem quin-

decim

decim ſequentibus annis ob dictas cauſas,quamuis diſtantior Sole ſit nobis.Nam & ipſe circumdat Solem,& aliquando eſt propinquior nobis, quàm Sol,veluti cum eſt acronyctius in eius oppoſitione: vt benè obſeruauit Tycho diligentiſſimus Aſtronomorum. Hæ tamen ætates omnes fiunt à Sole , vt anni quartæ per caloris natiui actiones , vt in phyſicis docuimus. Tribuuntur tamen planetis,quibus magis conuenit talis caloris conſtitutio : vt ver quoque datur Veneri , æſtas Marti , hyems Saturno , autumnus Mercurio ; & eorum morbi & affectiones in cœlo , & terra , & mari.

3 Aduertas quod iuxta reuerſionem planetarum ad locum ſui epicycli eundem ad Solem Ptolemæus tempora ætatum aſſignauit planetis , excepto Mercurio & Sole. Illi enim dimidium ſui temporis dedit ob imbecillitatem : huic verò lunarem cyclum,quando reuertitur in epicyclum , & cum Zodiaco ad idem. quoniam ipſa Solis vires ad nos defert magis , vt Solis ſoror. Nos autem putamus hæc ita ſe habere aliqua ex parte , quoniam exquiſitam ſcientiam ignoramus. ætates tamen variari certi ſumus , ſed terminos variationis, vti ſunt cardines anni, neſcimus , ſed proximè accipimus. ♃ autem annos Zodiaci retinuit.

4 Scire licet non apud omnes regiones ætatem ſimiliter eſſe partiendam. Qui enim habitant ſub tropicis, præſertim in Ghineæ regno ad quadraginta annos ætatem producunt : in quadrageſimo ſunt decrepiti ſenes. Similiter qui ſub polis habitant , quoniam his à frigore calor matutinus hebetatur , & extinguitur : illis à nimio æſtu foras exhauritur. Ergo Luna habebit ſub tropicis annos duos. Mercurius quinque , Venus ſex , Sol decem , Mars ſeptem , Iupiter octo , reliquum Saturnus poſſidebit. In noſtris quoque regionibus alij ſunt præcoces ingenio , alij laſciuia venerea , prout Mercurium , aut Venerem ſortiuntur potentiorem : aut fortè ſub ima abſide. Præterea quidam ſunt martiales poſt 22. annos : quidam poſt 41. vt Ptolemæus putauit pro Martis propinquitate & vigore. Idque in natiuitatibus conſiderandum propono nondum à me examinatum.

De directionibus tempora euentuum declarantibus.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 POstquam quid cùi ætati, ſub qua regione, & ſub quibus legibus, & educatione, congruat, conſideraueris, vti quartas anni eius affectiones, tunc ad particulares annos, ſicuti ibi ex annis ad menſes, ex his ad dies procedemus.

2 Indicantur anni à directionibus, progreſſionibus, & ingreſſibus planetarum in loca directionis, & progreſſionis aphetarum: ſicuti menſes à menſtruis progreſſibus, & directionibus.

3 Subiecta aphetica directionum & progreſſionum principalia ſunt quinque, Sol, Luna, fortuna, horoſcopus, & medium cœli.

4 Solem conſulimus pro dignitate, gloria, honoribus & magiſtratibus, & patre: Lunam pro anima, ſenſu, vxore, matre aliquando, & pro ſalute, & honore: partem fortunæ pro diuitiis cuiuſcunque generis, hæreditatibus, acquiſitionibus: medium cœli pro filiis, actionibus, amicitiis, promotione ad religionem, doctoratum, &c. horoſcopum pro corpore, & ſalute, & morbo, & quæ corpore fiunt, vt peregrinationes.

5 Cum ergo ſint plures aphetæ, & in diuerſis ſitibus, fit vt eodem tempore quis fortunetur animo, & non corpore; filiis & non diuitiis. nemo ergo vndique beatus, neque imbecillitas humana ſuffert malam bonámve fortunam ſummam.

6 Hæc ſunt perpetua ſignificata aphetarum: ſed aliquando pro morbis, & aliis effectibus, quorum ſunt ſignificatores, poſſunt dirigi, vt Luna pro cæcitate ad nebuloſam, & pro abortu ad Martem: & pro lepra ad eundem in Libra, &c. Mercurius etiam poteſt dirigi pro animo & doctrinis: Iupiter pro libertate, &c. ſed horum ſunt exiles vires inter aphetas, & parum variant euentum. idcirco non conſiderantur. Quando vero ſunt domini temporis & principantur in genitura, vt Alcocodem Arabibus, tunc dirigi poſſunt, quoniam fortem indicationem habent.

7 Non dirigimus cauſas euentuum, qui ſunt ſignificatores, neque qualificatores, qui ſunt domini locorum, in quibus illi reperiuntur, neque configuratas ſtellas, quæ augent, aut minuunt

qua

qualitatem euentus, neque signa, quæ genus declarant, sed subiectum significationis, quod aliquando est ipse significator: vt Sol est significator honoris, & subiectum quod pro honore dirigitur: aliquando est aliud: nam Luna, Mars, Sol, & fortuna sunt significatores itinerum, sed ipsorum subiectum est horoscopus, qui dirigendus venit.

Considerandа esse tria in directione, videlicet significatorem, promissorem, dispositorem, & his configuratas stellas, & alia quæ anticipant, & postponunt euentum.

ARTIC. II.

1 TRia considerabis in qualibet directione. Primò subiectum, quod & significatorem vocamus. Secundò promissorem. Tertiò dispositorem, seu qualificatorem. Significator est vnus ex dictis aphetis. Promissor est planeta, vel fixa, vel radius, vel locus occursans directioni, à quo promittitur aliquis euentus in occursu aphetæ ad ipsum: vt mors, aut dignitas. Dispositor est, qui proximè antecedit locum directionis corpore, vel radio, qui gubernat, donec alterius stellæ corpus, vel radius occurset. Est etiam secundus dispositor dominus termini.

2 In venando vitæ spatio interemptores occursantes considerabimus. In cæteris verò aphetis deducendis omnes stellas obuias corpore, vel radio, hostili vel amico: vt oppositione, coniunctione, quadrato, octagono, antiscio, æquidistantia, triangulo, sextili.

3 Primum ergo tempus directionis apheticæ disponit & regit planeta proximè ipsum antecedens corpore vel radio: qui quando non adest, disponit planeta partiliter cum apheta positus corpore, vel radio: & cum eo simul gubernat dominus termini, qui per se solus gubernat, quando nullus præcedit, nec comitatur aphetam. Regit autem tot annis, quot sunt ascensiones rectæ inter ipsum & succedentem stellam, vel nouos terminos, quando est apheta in medio cœli: quando verò in horoscopo, quot sunt regiones illius obliquæ ascensiones.

4 Semper

4 Semper fortior dispositor est eligendus, quando sunt plures gradu pares, ac simul dominus termini tanquam collega regiminis. ex quibus commisce rationem gubernationis.

De forma dirigendi aphetas.

ARTIC. III.

1 VAria est dirigendi forma apud Astrologos, nec hactenus experientia satis veritatem declarat. Arabes enim domos ex æqualibus Zodiaci sectionibus constituentes etiam in Zodiaco gradus numerant: & quot gradus sunt inter significatorem & promissorem, tot annos interponunt ad effectus ostensionem vsque. Alij verò æquatorem secant, & in eius gradibus etiam directionem faciunt. Alij verticalem circulum. Alij parallelum cum Porphyrio per gradum ecliptice orientem meridiano circulo interceptum. Alij tempora horaria, diurna & nocturna, partiuntur in partes tres cum Alcabitio, & ex eis domos ascendentes sub & super horizontem conficiunt: ex quibus oppositos describunt: propterea que directiones varias faciunt, quilibet iuxta suas theses. Concedit S. Thomas in 2. de gen. & cor. vitas metiendas esse in circulo obliquo.

2 Hoc autem certum est, quod tempora inter promissorem & significatorem sunt considerandа. Ergo metire quantum tempus requiritur, vt ascendat promissor ad significatorem, & tribue quindecim annos temporis vni horæ ascensionis, & mensem vnum quatuor minutis horæ ascensionis, & septem dies cum dimidio dabis vni minuto: & sic deinde minutum in 62. quæ distribues diebus septem cum dimidio, & peruenies ad dies, & horas euentus.

3 Cum apheta est in M. C. aut in I. C. conueniunt omnes quod directio sit facienda per ascensiones rectas interpositas inter promissorem, & significatorem: illæ enim indicant horarias partes, quilibet sanè gradus quintamdecimam horæ portionem, quæ annum vnum propterea significat: quoniam Sol vnum diem conficit in gradu vno peragrando. Et quoniam vt ascendat signum vnum per culmen cœli, quod continet gradus 30. duæ horæ requiruntur: ascensiones autem rectæ variantur pro obliquitatis solaris variatione: propterea vtemur posthac descriptis à Tychone.

4 Cum

4 Cum verò fuerit apheta in horoſcopo, ſiue in ſeptima, dum aſcendunt gradus Zodiaci inter ipſum & promiſſorem, non ſimul aſcendit idem numerus graduum in æquatore, propter illorum rectitudinem, & tortuoſitatem: ergo directio facienda eſt per tempora horaria. Hæc autem correſpondent potius gradibus æquatoris, & eius aſcenſionibus obliquis cum ſignifero. In diuerſis autem regionibus variantur aſcenſiones: propterea per aſcenſiones obliquas tuæ regionis operaberis, & quot ſunt illæ tot annos interpones. Per eaſdem poteris operari, dirigendo aphetam in Occidente:quoniam eædem ſunt deſcenſiones cum aſcenſionibus oppoſitis: cum ſigna rectè aſcendentia tortuosè deſcendant,ſicut eædem ſunt rectæ M.C.& I.C.

5 Si autem fuerit apheta inter angulos, per circuli poſitionis aſcenſiones operaberis,qui ſunt octo inter angulos poſiti, gradus triginta habens quilibet: vel per circuli deſcenſiones in locis oppoſitis.

6 Si apheta ſit in ſeptima, & M.C. promiſſor verò inter M.C. & horoſcopum,deduc aphetam ad M.C.per ſui circuli aſcenſiones, deinde promiſſorem ad M. C. per aſcenſiones rectas, & miſce vtrumque tempus. Sic facies inter ſpatia ambientia I. C. Spatia ambientia horoſcopum,& 7.non miſcent tempora, ſed per aſcenſiones circuli poſitionis non variatas fiunt.

7 Hæ operationes per tabulas fiunt Regiomontani,& per aſtrolabia regionis, & in ſphæra ſolida, numerando aſcenſiones. At Ptolemæus facilè per rectas aſcenſiones, & horaria tempora,omnes abſoluit.Quære (inquiens) horaria tempora aphetæ,& per illa diuide diſtantiam eius à M.C. in aſcenſionibus rectis:& quod exit eſt numerus diſtantiæ horarum aphetæ ab ipſo M.C. Inuenta differentia horarum aphetæ à M. C. quære horaria tempora promiſſoris,diurna,ſi eſt ſuper terram;nocturna,ſi ſub terra,quæ tempora multiplica per horas diſtantiæ aphetæ à M.C.& quod producitur, vbi apheta fuerit inter horoſcopum,& M.C. detrahe à differentia aſcenſionis rectæ promiſſoris & M. C. vel ſi apheta ſit inter M.C. & occidentalem angulum, & promiſſor inter M. C. & horoſcopum,adde:vel,ſi vtrumque ſit inter M.C.& occidentem, detrahe differentiam aſcenſionum rectarum à producto,& quod fit eſt numerus graduum,& minutorum,directionis.

8 Videtur quidem ſecundum hanc doctrinam Ptolemæi figuram erigi oportere iuxta dogma Alcabitij.Sin verò ſequaris Abra-

ham Abenafre in domorum partitione cum Regiomontano, etiam illius directiones ſequare, quæ à Ptolemaicis vnum vel duos annos differentiæ faciunt,& per polos circulorum ſumuntur.

9 Hoc in negotio magna eſt incertitudo. Firmicus enim & Arabes in Zodiaco dirigentes profitentur ſemper diuinaſſe. Cardanus ſequutus Ptolemæum eius directionibus per multa ſibi experimenta probatis adhæret. Moderni omnes Regiomontano aſſentiuntur, dicúntque ſe diuinare tempus ad vnguem.

10 Equidem arbitror controuerſiam dirimi non poſſe: quoniam directiones nunquam iuxta datas regulas prodeunt, ſed anticipantur & poſtponuntur. Aliquando à natura terminorum: antequam enim ad maleficam accedat ſignificator, ſi in terminos eius anteriores tres vel duos, incidit, eius læſionem incurrit. Aliquando præuenitur ob radios aphetæ ante corpus ad locum directionis prouenientes, vel ad radios promiſſoris fortes ante corpus. Aliquando etiam fixa eiuſdem ſectæ vel contrariæ in loco directionis multiplicat vim, euentus autem demit, & anticipat, & poſtponit. Aliquando etiam progreſſio bona vel mala idem facit annum anticipando, vel poſtponendo. Aliquando ingreſſus bonorum vel malorum planetarum in locos directionis, & progreſſionis,& apheticos. Interdum conſtitutio generalis præuenit ſi concordat, poſtponit ſi diſcordat. Vnde ætate repugnante vana eſt directio connubij. Aliquando cometa, vel eclipſis locis configurata apheticis,& directionibus,& progreſſibus mixta. Nec vlla eſt certa directio, nec ſi certè quis diuinauerit antè, cùm venerit effectus, poteſt ita certus eſſe, quod ab ea ſit, cum aliæ cauſæ concurrant, poſſimúſq; dicere, quod oportuiſſet illum præueniri, aut poſthaberi. Item Ptolemæus ſemper docet, quod planeta in angulis, & maximè in principio angulorum, & curſu velox, producit effectum in iuuentute,& citò. In cadentibus verò & finibus angulorum, & tardus, in ſenecta vel ſerò. Igitur directio non erit certa ex occurſu ad promiſſores: niſi fiat occurſus citò vel ſerò, prout ſe habet à principio ſignificator. Quando autem diſcordant hæc duo, recurre ad progreſſus & tranſitus conuenientes rationi radicali. Omnes autem præfatas differentias conſiderabis, & ex progreſſibus etiam diuinabis, vbi in centris eſt ſignificator, & velox, anticipans directionis tempus. ergo ex progreſſu. Sic de centris.

11 Cætera quæ pertinent ad directionum verificationem vide in lib. 4. cap. 4.

De

De progreßibus annuis.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 NOn modò gradus æquatoris inter aphetas, & promiſſores, annos ſignificant, quoniam à Solis motu diario, qui ſuum annum repræſentat, ſumuntur: ſed etiam ſigna, quæ ſequuntur, habent ſuum gubernatum in annos, & quodlibet annum vnum ſolarem repræſentatum in anno lunari.

2 Numera ergo triginta gradus à locis apheticis in principio ætatis, faciéſque dominum interpoſitorum graduum (quando eſt vnum ſignum) vel dominos (quando plura ſigna) gubernatores illius anni. Et ſic per ſeriem ſignorum vſque ad 12. & inde reuerteris ad primum ſignum. Gubernabunt autem domini progreſſionum cum dominis directionum.

3 Primum ergo locum in decernendo habet dominus ætatis: ſecundum dominus directionis potentior, cum mixtura alterius: tertium domini progreſſuum: quartum dominus radicalis, vnde incipiunt progreſſus à principio: quintum natalitius illius domini: ſextum locus progreſſus: ſeptimum planeta hæc loca ingrediens, qui adeò fortis eſſe poteſt, vt ad ſe totum ſignificatum trahat, vt dicemus.

4 In examine directionis & progreſſus Primò vide vtrum proueniat progreſſio ad beneficas, vel maleficas malefacientes, vel iuuantes. Secundò conſtitutionem planetæ in hora, qua ſuſcipit gubernatum progreſſionis, videlicet ſi orientalis, ſi auctus lumine, ſi in ſua dignitate, vel contra, &c. Tertiò ſi talis gubernator ſit in figura radicali propitius tali euentui. Nam ſi erat oppoſitus aphetæ, vel domino loci aphetæ, eſt malus in progreſſus gubernatu ad illum effectum. Quartò an talis dominus progreſſus vel directionis fuerit in radice fœlix, an infœlix. Quintò quando tempore ſui gubernatus occurret beneficis, aut configurabitur aphetæ, aut ipſe fuerit fortis. tunc enim cauſa iuuabitur. Si verò maleficis diſcordantibus, aut malè aphetam aſpiciet, aut fuerit in inconiunctis, aut ſub radiis, vel retrogradus, tunc nocebit.

5 Cum fuerint duorum ſignorum partes in progreſſu annuo, gubernabunt domini primi ſigni priùs tot menſes & dies

quot numerus graduum importat. deinde verò domini ſecundi ſigni pro rata, & eorum potentior, magis.

De progreſſu menſtruo.

ARTIC. II.

1 PRogreſſus menſtruus eſt duplex. Primus ſumitur à locis apheticis in principio ætatis ſingulis menſibus ſequentibus dando viginti octo dies ſecundum Ptolemæum, ſicuti cuilibet anno vnum ſignum.

2 Secundus progreſſus menſtruus eſt diuidendo ſignum annui progreſſus in duodecim partes. quapropter fiet, vt vni menſi contingant gradus duo, & minuta triginta. Et tunc obſerua dominos illorum ſignorum & graduum, ſicuti in progreſſu annuo diximus. hinc inſtabilitas & varietas rerum humanarum à tot concauſis continuò aperitur.

3 Arabes dant triginta dies proceſſui menſtruo, alioquin ex tredecem menſibus componeretur annus, quibus aſſentitur Cardanus, corrigendúmque putat Ptolemæi textum: vt loco 28. ponatur 30. & vbi dicitur, duos dies cum triente, ponatur, aut ſextante. At quidem Ptolemæi textus non capit correctionem: proptereáque puto, quod ſicut à Sole habet arbitros menſtruos ſupradictos à ſigno proceſſus annui: ſic à lunari ratione debet habere arbitros alios ſecundum lunationes ſubſequentes. Quemadmodum enim morbos iudicamus à motu Lunæ non incipiendo à ſynodis, vel pleniluniis, ſed à loco, in quo erat Luna tempore decubitus: ita ætatem incipiendo à lunari loco. Et quoniam Luna in viginti octo diebus reuertitur ad illum, ſic menſtruos arbitros capiemus ſecundum dies Lunæ. nihil autem obeſt facere menſes 13. & ſigna duodecim partiendo. Sed cum viginti octo diebus addat horas, & lunationes ſint duodecim in anno, & dies vndecim, non ſequitur ratio prædicta. Quapropter oportet lunationes ſeorſum ſemper facere, & dominos capere locorum, in quibus eſt Luna perpetuò, & alias facere reuerſiones non irrationabiles, licèt intricatiores. Luna enim tempus metitur ſecundario à Sole, & noſtra vita eius tempore menſuratur, & ſolari. Quod ſi ita eſt, reſpice dominos loci Lunæ inceſſanter, & eos ſemper arbitros euentuum in reſpectu ad aphetas aſſume vnà

cum

cum aliis: & iuxta vincentes iudica, præsentiam Solis & beneficarum in signo profectionis celebrando cum iudicas. Sol enim viuificat omnia.

De progressu diario.

ARTIC. III.

1 VIdetur etiam duplex esse dierum processus. Primus, si à die natiuitatis facias progredi duodecim signa per duodecim annos, & simul per duodecim menses, & tandem per dies triginta, tribuendo signum vnum duobus diebus cum dimidio iuxta Lunæ mansionem.

2 Alius progressus est, si illius processus lunaris viginti octo dierum fiat partitio talis, vt arbitros demus vnius signi diebus duobus cum triente, sicuti dicebat Ptolemæus. Quod si textus est mendosus dicemus, quod supra: & signum menstruum diuidemus in triginta dies, & simul annuos triginta gradus diuidemus in menses singulos duos cum dimidio, & diebus triginta diuidemus duos gradus cum dimidio sectos in 150. secunda: & considerabimus dominorum statum, & planetarum ingressum, vt suprà.

3 Tam exquisitas computationes frustra facimus, cum aliæ causæ varient tempus euentuum, vt dictum. Paris Cæsararius annum, & menses, & dies papatus, prædixit olim Cardinali Farnesio: annum diuinauit, & non vltrà.

De ingreßibus.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 PLanetæ ingredientes loca aphetica, vel magis loca, ad quæ directio, & processus aphetarum peruenit, temporum decreta continent: Saturnus generalium ob suam tarditatem: Iupiter annuorum, quoniam tantum manet in vno signo: Sol, Mars, Venus, & Mercurius, menstruorum, quoniam tantundem manent in signo vno, licèt Mars excedat: Luna diariorum, quoniam non nisi duos dies cum dimidio manet in signo vno.

2 Tandiu durat decretum ingredientis planetæ, quamdiu ipse

manet in eodem ſigno. Saturnus ergo menſes triginta affliget. nam neque deliquia vltrà poſſunt. Iupiter anno vno iuuat, & ſic de ſingulis pro rata manſionis in ſigno : proptereáque cum ſunt retrogradi plurimum poſſunt.

3 Arbitri temporum generalium poſt arbitros ætatis potiores ſunt ad abſoluendum decretum. Arbitri particularium adiuuant, vel reluctantur, concordia vel diſcordia. hi ſunt directionis & progreſſionis domini. Tranſitus verò ingredientium augent, vel minuunt.

4 Equidem expertus ſum, tranſitus eſſe tam validos, vt ex ipſis ſolis multa certius prædixerim, quàm ex directione & progreſſu. quod & Cardanus fatetur. Plus enim nocet præſens muſca, quàm abſens leo. Vnde Hermes & Galenus ex his modo de morte, & vita, in morbis prognoſticantur. Quod autem cometæ, & deliquia, & coniunctiones magnæ, quæ fiunt in locis apheticis, & directione, & progreſſu poſſint totum vitæ curſum mutare, aut truncare, nulli dubium : quoniam tranſitus ſunt conſtitutionum generalium. Sed quod ♄ proroget malum, vbi retrocedit in eodem ſigno, palam eſt. Fuit mihi in directione Solis & ♀ dominæ geneſis in ♎ ♄, anno Chriſti 1599. & in oppoſitione directionis Lunæ, & in eius antiſcio, & me detinuit in carcere annis quindecim, necdum finis. Omitto, quid fecerit aliis peremptis, & mecum cruciatis. Non ergo ſolum augent tranſitus, ſed aliquid plus efficiunt. nulla præceſſit eclipſis mihi contraria, ſed cometa non ſatis obſeruatus terræ propinquus, vt alibi dictum eſt.

APPENDIX.

De ſubiecto euentus.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 GEnus rei decernitur per locum apheticum : quouſque procraſtinabitur generalis arbiter temporis (id eſt, aiunt, promiſſor in directione, ſeu diſpoſitor : ſed melius dominus progreſſionis, vel directionis) ſpeciatim verò dominus terminorum. Nam licèt apheticus locus directione mutetur, tamen ſemper participat cum domino directionis & progreſſus in effectu.

De

De fœlicitate & infœlicitate euentus.

ARTIC. II.

1 VTrum autem fuerit fœlix, vel infœlix, considerandum est ex eis, qui domini sunt naturali propria & mixta cum aliis configuratis propensione ad bene vel male faciendum. Item ab amicitia, & inimicitia, quam ab initio susceperunt cum significatoribus, & inter se cum configuratis.

Quando certius & magis eluceſcet euentus.

ARTIC. III.

1 EFfectus tunc magis eluceſcet, cum menstruæ, & annuæ progressionis signa configurantur cum locis apheticis benè vel malè, & secundum ingressum Luminarium & planetarum ad annuæ, & menstruæ, & diariæ progressionis signa.

2 Namque itidem si ingressus planetarum concordat cum locis apheticis à principio genituræ, & secundum directionem, & progressionem, & benè configurantur, iuuat euentum rei propositæ. Si discordent natura, & radio, hostiliter transeuntes stellæ istæ ingredientes, nocent, sed non ita, si non tam malè configurantur.

3 Si verbi gratia principio anni loca principalia progressus, & maximè Luna, cadant in loca maleficarum radicis, vel fiat reditus per circulum malus, tunc eueniet mors eo anno, vel infortunium de genere significati loci principalis.

4 Primum ergo vide, an promittatur effectus in radice per significatorem generalem: deinde per ætates & directiones venabimur tempus. In quo si etiam progressus perueniet ad signum congruens, eo anno sequetur effectus validus, absque impedimento, & maxime si ingressus planetarum iuuabit in locis progressus, & directionibus: vel etiam si Sol aut Luna solum respexerint. At si tunc impediunt maleficæ, si etiam est bonus; aut beneficæ, si malus, oportet quærere opportunius signum in ea causa succedens. Quod si planetæ contrarij significati in eo signo inuento

peram

perambulent, aut Sol aut Luna hostiliter aspiciat, tunc impedietur negotium illud, quamdiu planeta ille talem locum corpore, vel radio tenebit. Ergo hinc ad duodecim annos res talis non reuertetur, quia directio, & ætas mutatur. & si etiam reuertentur, non tamen eodem modo, neque idem effectus specialis, quoniam ingressus planetarum etiam ac Luminarium variantur.

5 Hoc tamen verum experior, quod quando aphetæ progrediuntur ad proprios trigonos, & sextiles, res ab eis significatæ benè se habent, quando ad oppositiones, & quadrata, malè. Propterea annus 4. 6. 8. 12. 7. x. sunt sanitati aduersi, quoniam horoscopus ad sua quadrata, & oppositiones, & domos inconiunctas progreditur. Et sic omnes aphetæ ad sua consimilia. Idem iudicabis de annis à duodecimo, quartis, sextis, octauis, &c. & hoc verius est, quàm numerorum ratio per septenarios, & nouenarios. Vnde 63. ex horum concursu pessimum dicunt, quod nec inficiamur cum multorum mortes ibidem fiant plerumque. Sed ratio numerorum obscurior. At quando in 6. vel in 8. vel in eorum amico aspectu, quis habet beneficam, non erit mala progressio, nec satis fœlix.

De effectus magnitudine.

ARTIC. IV.

1 SIcuti quando consentiunt loca progressionum annuarum, & menstruarum, cum locis aphetiçis, & ingressus iuuant, effectus tunc maxime eluceſcunt, vt dictum est, & è contra: ita etiam illustres, & magni fiunt, quando iidem fuerint domini ingressuum, & progressionum: multo autem magis si fuerint domini progressionum simul iidem domini aphetici loci illius effectus in radice significatiui: omnino autem maximè, quãdo sunt etiam directionis, & ætatum, & progressionum, & apheticorum locorum iidem domini, vt Sol significans honorem, & vadens per directionem, & progressionem in Leonem in ætate solari. tunc enim quadrupliciter est dominus. Augentur etiam si fixæ sint in loco directionis, & processus.

2 Igitur aut miserrimi, aut fœliciſſimi fiunt, qui omnes aphetas habent in eodem signo, quoniam directio & progressus est omnium eadem, siue bona siue mala, ad easdem maleficas, & beneficas. vt, verbi gratia, Iob qui simul omnia perdidit excepta

vxore

vxore: quod licet Deo permittente & diabolo faciente acciderit, tamen cœlo significante, vt instrumento Dei. idem diximus de Caracciolo, qui omnes planetas in ♈ habebat.

APPENDIX.

1 OMnes configurationes significantes aliquid boni, vel mali in radice, vt epilepsiam, dignitatem, &c. dictæ in toto hoc libro, valent etiam in progressionibus, & directionibus, & ingressibus, si consimiles sunt: non tamen ita efficaciter operantur, nisi in radice præcesserint. tunc enim validus effectus erit.

2 Considera in omni quæsito Primò locum quæsiti, qui potest etiam esse significator, vt M. C. & horoscopus, & pro seruis 12. &c. aliquando est significatoris locus, vt locus Solis significantis honorem, vt horoscopus temperiem: hi enim dicunt essentiam rei quæsitæ, signa eorum substantiam seu materiam, & genus. Secundò illorum dominos, qui qualitatem dicunt rei quæsitæ. Tertiò sidera configurata, quæ augent, vel minuunt, certificant, vel tollunt quatuor principaliores planetas seriatim, vt ☀ ☽ ♃, &c. Quintò Almuten, qui dominatur principalioribus locis. Sextò potentiorem, ideſt propiorem centro anguli principalis. Septimò qui dominatur, aut potentior est, sitne benefica an malefica. Octauò dispositionem eorum ad mundum, ad Solem, ad absides, ad latitudinem, ad dignitatem, ad casum, ad peregrinationem, &c. Nonò commixtionem cum planetis aliis & fixis. Decimò qui planeta super alios eleuatur. Si beneficus, & fœliciter situs, optima omnia decerne in quæsito; si non satis fœlix, minùs bona. Si malefica, potens, & discordans, pessima; si impotens, nocet minùs. Si dominatur loco, super quem eleuatur, bona erunt frequentia, sed minora; si aduersatur, frequentia & maiora. Si peregrinus, magna, sed non frequentia. Si locus, super quem eleuatur malefica, sit casus eius, rara infortunia, sed maxima significat, existimationem tamen retinebit, & lucrum.

3 Pro effectu nota. Sunt planetæ aut in propriis dignitatibus, aut in mutuis, aut in communibus, & partiuntur in dissidentes, & concordantes. In propriis locis sunt validi, & vincunt eum qui in alienis.

In propriis locis se inimico aspectu intuentur: in mutuis casibus inuictum ferunt malum, si alter solum in casu resistet, & impedier,

pediet non existentem, quamuis recipientem, si aspiciat. Sunt tamen debiles omnes in casibus.

Si mutuo se recipiunt, erunt firmi, & expediti in effectu suo.

Si vnus tantum recipiatur, fouebitur à recipiente. Sed tamen obediet illi sicut seruus in domini domo, nisi ab illo opprimatur, vt à latrone, sicuti Mercurius combustus hospitans Solem in ♍.

Si vnus sit in alterius casu, impedietur ab illo, sed parùm.

Planetæ in communibus significant consensum, vt ♄ & ♂ in ♑,& simul populi fauorem.

In mutuo casu sunt hostes, neque consequetur quis alterius promissionem vllam.

Si sint in diuersis trigonis, discrepabunt media ad consequendum finem, & iudicia hominum de eis erunt varia.

Si vnus est in suo trigono, alîus non claudicabit promissio.

Peregrini difficultatem consequendi & perficiendi arguunt. Hæc nota in radice & processibus.

De Reuolutionibus.

ARTIC. V.

1 OBseruant Arabes reditum Solis ad idem punctum omnino, quo quis natus habuit Solem; & sic erigunt figuram, & indicant de illa sicuti de genesis figura pro toto anno. Idque in vsu est omnium Astrologorum. qui & anni reuolutiones & mundi faciunt.

2 Cardanus inutilem hanc figuram iudicat. Primò quoniam progressus secundum successionem signorum est tutior, cum directionibus assimiletur. Secundò quoniam reuolutio est inæqualis. non enim mihi succedit in futuro anno proximo Libra in horoscopo, in quo Virginem habeo, sed Sagittarius, aut aliud. Item in progressu assumuntur vicissim omnes planetæ: at in reuolutione sæpè iidem, si horoscopat eorundem signum, aut aphetæ in eorundem signa transierunt.

3 Sed hæ rationes commendant progressus: non autem excludunt reuolutionem. Non enim signorum successio requiritur in hoc, sed Solis status radicalis: qui cum sit princeps planetarum variat figurationes eorum & cœli. alioquin incusa cœlum, quòd non in idem punctum & situm in eodem die, & hora, & minuto

Solem

Solem quotannis sistat. Secunda ratio nil valet. nam miscentur euentus, & successiones rerum anticipantur, & postponuntur: propterea & signa. Neque requirimus, nisi quod Sol in situ mundi facit cum omnibus planetis tempore suæ reuersionis ad radicem. Ad tertiam nihil obstat, quod iidem aliquando planetæ succedunt: nam & euentus consimilantur. Reuolutio non habet tantam vim, quantam processio, non tamen nullam. Indicat etiam ingressus planetarum in loca varia & configurationem ad mundum, & ad loca directionum, & processuum: quapropter quasi renouat vitam, nec sine causa dies natalitius antiquitus celebrabatur.

4 Ergo erecta figura examinabimus aphetas omnes: vti in genesi, & dominos locorum, & signa, & configurata astra, & quid portendant, iuxta ratiocinationes præteritas in genesibus.

5 Menstruas signorum processiones ab ea deducemus, imitantes radicalem, & omnia conferemus vti in illa, quæ iam repetere non oportet.

6 Cum autem contigerit loca radicis esse eadem in reuolutione, maximè horoscopum, spera vitæ quasi renouationem, si tamen beneficæ adfuerint, & directio & progressus non repugnauerint.

7 Si verò ad oppositа loca, vel cadentia, vel inconiuncta, timebis, prout ratio progressionum etiam declarauit.

8 Idem considera de reuersione aphetarum ad bonum vel malum situm.

ASTROLOGICORVM LIBER SEXTVS.

De electionibus sideralibus.

Naturali ratione, & diuina authoritate, scientiam de electionibus esse veram necessariamque Physicis, nec damnandam.

Caput I. Artic. I.

1 NEcessariam esse scientiam de electione temporis ad operationes humanas ritè perficiendas, & fœliciter, omnes declarant artes, præcipuè quæ non solæ, sed cum natura, operantur. Nisi enim Medicus Lunæ rationem habet, dierúmq; criticorum, occidit dum sanat, vel non ritè perficit, quod præparauit. Nautæ quoque si in hyeme, in lunatione malefica, se mari commiserint, à submersione non sunt immunes. Agricola si in mense Augusti seminauerit frumentum in nostra regione, non percipiet fructum. Eligit ergo quartam autumnalem: cui si addat fœcundam lunationem, meliùs faciet. Nec putabit vites in Decembri, sed in Februario : nec plantabit eas in Septembri, sed in Martio. Itinerantes, si ventos & pluuias, & horum causas non præconsiderant, multis afficiuntur malis. Rectè dixit Salomon, Omnia tempus habent.

2 Deus quoque tempora elegit eorum, quæ nobiscum est facturus, quando nimirum nos dispositos esse prænoscit. Nam quando venit plenitudo temporis misit filium suum. Et in sacris litteris

litteris ſemper ait ſe tempus iudicandi,& miſerendi,& transferendi nationes,& multiplicandi,eligere. Sed hæc eſt differentia inter electiones Dei & noſtras, quod ipſe facit tempora, quæ eligit, ſtelláſque temporum cauſas præfecit nullis ſubditus temporibus, neque fatis,neque ſtellis, ipſe temporum, fatorum, & ſtellarum, conditor,vt docet ſanctus Auguſtinus ſuper illud, [nondum venit hora mea.] Nos autem non facimus tempora quæ eligimus, ſed illis corpore ſubiacemus, & ſeruimus. Neque enim poſſum facere ne pluat, aut æſtum ceſſare. Animo verò vtimur illis, non ſeruimus : niſi quatenus animus ſponte ſe corporis ſubiicit affectionibus : & ſic ex conſequenti ſtellis & fatalibus cauſis. Qui autem adhæret Deo ſtellarum authori, euadit fatum ſuper cauſas ſecundas eleuatus : vti egregiè docet S. Thomas in 1. p. tractat. de fato : & experientia oſtendit, & ratio. Qui enim adhæret amicitiæ Regis, non timet lictorem, & mancipia Regis,& miniſtros. Sic ſapiens dominabitur aſtris.

3 Ait dominus : Faciem cœli noſtis iudicare, hoc autem tempus Meſſiæ quomodo non iudicatis ? Rectè quidem. ſicut enim ex ſideribus phyſicos euentus prænoſcere debemus : ſic ex ſacrarum litterarum ſideribus prophetalibus tempora iudiciorum Dei. Vnde inſultat apud Ierem. quod turtur, & hirundo, & ciconia, & miluus, cognouerunt tempus ſuum : populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo ergo dicitis ſapientes nos ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt ? Igitur Aſtrologia, vt ſcala ad prophetiam nobis eſt amplectenda, ſaltem exemplo animalium nobis per dominum exprobrato. Plinius etiam idem conſiderat, dum formicas in interlunio ceſſare ab operibus ſuis narrat,& multa animalia ſiderum curſum præſentire, ſed paſſione quidem illorum affecta,non ratiocinatione præmunita,ſicuti homo ſapiens cauſarum primarum & ſecundarum. Non ergo eſt ſubiicere arbitrium ſtellis, ſed ſaluare nos à malis illatis per ſtellas,& bonis potiendi modum nanciſci, cum ſtellarum vtimur notitia in electionibus : ſicut docet Magnus Albertus in ſpeculo : & Sanctus Thomas etiam diabolos eligere conſtellationes ex nimia ſcientia,& liberè,docet ad cœpta opera. Hæc contra Aſtrologomachos ſufficiant. Superſtitio autem eſt cum nos dæmonibus, non ſtellis, opus, vt coquus ollam igni,ſubiicimus : & ſtellas, in quibus non ſunt cauſæ,neque ſigna, tamquam cauſas, & ſigna faciunt malefici & Necromantici, accipimus. Sed è contra nil ſtul-

tius, quàm aggredi aliquid contra cauſarum vniuerſalium propenſionem, & velle contrarias, quas potes fauentes habere.

De electione ſiderali in ſacris.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 DE cunctis electionibus ſideratione indigentibus ſigillatim dicere oportet: priùs autem de his, quæ ad animam, deinde quæ ad corpus, ac tandem, quæ ad exteriora bona, negotiáque ſpectant.

Vtrum oratio requirat ſiderationem.

ARTIC. II.

1 PONunt Arabes caput Draconis in M.C. & ♃ in bono eſſe, ac ſic putant ſe à Deo in orationibus exaudiri. Poſſent addere defluxum Lunæ à ♃ ad ☍.

2 Poteſt probari, quod oratio ſideratione indigeat: etenim Salomon in Sapientia docet ad ortum Solis adorandum, illúmque prę-uenire ad orationem. Nec deeſt ratio: nam ab oriente ſurgit Sol ſemper cum ☿ & ♀ ſideribus animam afficientibus. Vnde & philoſophiæ ſtudio aurora dedicatur gratiſſima Muſis, vt in prouerbio eſt, ac Ficinus ad ſtudioſos ſcribit. Item omnia templa Chriſtianorum antiqua habent oſtium ab occaſu, altare ad orientem. Idem Rabbini Hebræi volunt. Item ſecta Turcarum ter in die orandum vult, vt dicit Pſalmiſta: Veſpere, manè, & meridie annunciabo laudem tuam. Secta Sofiorum in Perſide, ſepties, ſicuti dicit Dauid: Septies in die laudem dixi tibi. Quod Chriſtiani obſeruant in ſeptem horis canonicis. Volunt autem Aſtrologi ſeptem planetis has horas dicatas, ſicuti ſeptem dies hebdomadæ qui & ipſorum nomina habent, & ſeptem mundi ætates, & ſeptem ſigilla, & ſeptem phialas, & ſeptem tubas, & ſeptem Eccleſiæ ætates in Apocalypſi deſcripta à Sancto Ioanne. Item Dauid elegit diluculum ad laudes Dei. Et nos canimus: Iam lucis orto ſidere, Deum precemur. & alibi: Mediam noctem ad confitendum Deo. vt in matutinis officiis monachi

faciunt

faciunt, cum ſidus magnum aërem, & inferiora, minus agitat, & omnia ſilent. Item S. Ambroſius ait, quod corpus debet animam imitari in orando, vt valeat oratio, genu flectendo, ſicut illa ſe humiliat, & ad ſidera tendendo manus, ſicuti illa deuotionem. Cœlum autem agit ſuper corpus directè, & in animam indirectè, teſte S. Thoma.

3 Reſpondeo, quod oratio reſpectu Dei, neque locum, neque tempus, neque ſidera requirit, neque corporis valetudinem, aut poſitionem. imò Deus tribulatos exaudit magis, quamuis in ventre ceti, & inferi. Eſt enim vbique: neque indiget ſecundis cauſis vt nos exaudiat. Reſpectu autem noſtri ſi animum ſpectes non indiget oratio ſideribus. anima enim non eſt corpus, ſed conſtat potentia, ſapientia, & amore metaphyſicis primalitatibus, à quibus corpora reguntur. Quapropter vbique, & quomodolibet animus liber exauditur, nec à corporibus impeditur. Si autem conſideres corpus, cui animus eſt infuſus, & non confuſus, indiget ſideratione, & loco, & tempore. Quando enim eſt violentus, homo diſtrahitur ab oratione: item cum cibo plenus, cum aliis eſt implicitus negotiis, cum delirat, aut inſanit, aut alia premitur paſſione, impedit animum. Propterea in nocte, vbi nulla diſtractio, probatur oratio, & in ieiunio & vigilia, quando animus vaporibus non vexatur, neque pinguedine incarnatur, vt docet ſanctus Hieronymus Galenum allegando. Ad primum ergo reſpondetur quod ad ortum Solis pulchrè adoramus, non quia ibi tantummodo eſt Deus, ſed quia inde lux venit animum exhilarans, & ad pulchritudinem Dei contemplandam inuitans, dum corporeos mulcet ſenſus, attenuátque; in quo etiam ♀ & ☿ participant. Cum quo tamen ſtat, quod vir bonus ad omnem ſitum poteſt orare, & exaudiri. Idem dico de ſitu templorum, & de cantu Eccleſiæ orto ſidere lucis. Ad tertium, ſiue ter ores, ſiue ſepties, numerus non commendat nos Deo, ſed deuotio. qui autem ſemper orat dictis & factis, melior eſt. Vtimur tamen ſeptem horis canonicis dicatis actionibus Chriſti, & Spiritus ſancti donis; non autem planetis, niſi tanquam ſignis, non cauſis orationis, & donorum, & oblationis noſtræ ad Deum. Decet enim opera Dei conformia ſibi eſſe, & corporalia ſpiritualibus conuenire, non autem præſcribere legem. Et ſic de diebus, & ætatibus, & tubis dicendum eſt: concordia eſſe cuncta

in

in operibus Dei. Sunt enim ab eodem principio,cuius ordinatione,ait Dauid,perseuerat dies,quoniam omnia seruiunt illi.Cæteræ dubietates ex his solutæ sint. Qui ergo Deo adhæret,his adminiculis non indiget in orando.Quod autem dicunt Arabes de capite Draconis, ridiculum est, nisi quid afferant sidereum, quod corpus leniat, vti musica in templis, & per hoc animum sinat ad Deum sese eleuare.

De electione in philosophando.

ARTIC. III.

1 LAudatur in philosophando, si ♀ & ☿ sint orientales à Sole, studium matutinum. Ego tamen semper studeo, quamuis horas matutinas,si benè dormierim,ante eligo, cum puriorem sensum habeo, nullis fumis offuscatum, & animum ad contemplationem acutiorem,& habiliorem. Quicquid tamen incipis, fac vt aphetici loci tuæ geneſis sint benè affecti ad cœpta negotia.

2 Quicquid ceperis animo, vide cui planetarum correspondet. nam ♄ habet firmitatem, & perseuerantiam, & altissimas doctrinas,& arcana theologica, & metaphysica: ♃ habet iura ciuilia, canonica, iustitiam, pragmaticas, politicam, moralem, liberalitatem, magnificentiam: ♂ fortitudinem, victoriam, iracundiam, prauos amores, acrimoniam, falsiloquentiam, maledicentiam, & huiusmodi: ☀ omnium virtutum apicem, quæ in magnanimitate continentur,habet,honorem,ambitionem, maiestatem, principatum, medicinam, & alia huiusmodi: ♀ oracula, pulchritudinem,clementiam,delitias, iocos, &c. ☿ mercaturam, publicationem librorum, scientias physicas,Rhetoricam, & omnes rationales doctrinas,& Geometriam, Astrologiam, patrocinia, industriam, solertiam: ☽ habet comitatem, legationem, inconstantiam,variabilitatem, & cætera quæ diximus de moribus differentes. Ergo quando aliquid cœperis alicui sideri conueniens in his, quæ spectant ad animum, pone sidus illud in ascendente,vel medio cœli, forte, orientale, & in sua dignitate, & ab apheta tuo significatore talis euentus in radice tuæ geneſis non discordans aspectu, vel inconiunctione. Sed melius est te commendare per orationem siderum authori.

3 Potes

3 Potes ex moribus extemporaneis agnoſcere quis planeta eſt dominus progreſſionis & directionis, ex dictis.

De electione in corporis regimine.

CAPVT III. ARTIC. I.

1 SImiliter ex corporis affectionibus potes agnoſcere, quis planeta tunc tibi dominatur: ponderoſi enim faciunt tardum. Sed ♄ cum deiectione, & dolore, & cogitatu alato: ♃ tardum cum maieſtate, & ſine dolore, ſed lætum, iuſtúmque: ♂ grauem cum ambitione, & exilientem in rixas, tumores, verba procacia: cæteri planetæ faciunt mobilem, vel cum maieſtate, vt ☀: vel cum blanditiis, & illecebris, vt ♀: vel cum agilitate, dexteritate, vt ☿: vel cum variabilitate, & mollitie multa, vt ☽.

2 Prandium & cœnam elige non niſi cum fame, hoc enim melius eſt ſideratione. Sed ſi potes, pone horoſcopum in bono ſitu ad mundum, bonóque aſpectu Lunæ ad ipſum applicantis: ſicut in euacuatione, defluentis: quod in deambulatione quoque volumus, dummodo beneficis applicet, aut nullis occurrat maleficis.

3 Vade dormitum cum Sole, & cum eodem ſurge, ſi habitas ſub æquatore: ſed tamen dum lux eſt ſuper terram ſubmerſo Sole, negotiari potes: & dum aſcendit aurora, præueni diem.

4 In regionibus vbi dies nocti non æquatur, ſi eſt humida valde, citò vade dormitum, tardéque ſurge: & vtere luminaribus multis loco Solis dum vigilas. Si ſicca temperies, manè & veſperi operaberis: in meridie & media nocte quieſces.

5 Corpora humida, & quæ dolores patiuntur articulares, bene prandeant cum Sole, exiliter cœnent cum Luna; quoniam noctu ipſa humores & fluores auget, articulíſque immittit. Corpora ſicca dormire non valentia bene cœnent, mediocriter prandeant.

De medicinæ corporalis electionibus.

ARTIC. II.

1 LVna exiſtente in ſignis ruminantibus, ſume medicinam, quæ euacuat per ſuperiora: in humidis, quæ per inferiora.

2 Dum ♄ aut ☀ coniungitur, aut opponitur, abſtine à medicamento purgante, & phlebotomia, niſi vbi acumen morbi vrget. Caue tamen ab illo puncto in acutis: in cæteris vno die ante & poſt

Solem fac in congreſſu maleficarum, præſertim cum apheta.

3 Dum Luna applicat Veneri, aut Ioui, aut Saturno (illis quoniam digeſtionem faciunt, non euacuationem, iſti quia retentionem humorum procurat) medicamentũ purgatiuum ſumere non eſt vtile.

4 Marti ſtimulatori humorum vna cum ☿ tutius te committe, dummodo ſanguinis eiectiones non timeas.

5 Non tangas ferro venam membri alicuius, aut partem membri: neque medicinam adhibebis vlli membro dum Luna eſt in ſigno illi membro dominante, vt ♈, capiti.

6 Membra, viſceraque planetis dicata, cum curare volueris, pone planetam, cuius eſt membrum, directum, orientalem, & in ſua dignitate, vt roboret & membrum illud: fac & angularem.

7 Cum abſterſiua, & reſtrictiua adhibes pharmaca, ſit Luna ſitiens in ſiccis ſignis: cum lenitiua, & deiectiua, in humidis & aucta lumine: humectatione enim indiges. Non ſit in fixis vbi mouendi ſunt humores, neque in mobilibus vbi ſiſtendi.

8 Non ſit in ſiccis, cum obſtructioni, aut indurationibus medemur: neq; in humidis, cum abſtergimus humorum abundãtiam: ſed cum euacuamus licet, vt deorſum fluant. Non ſit in aëreis, & ventoſis locis, cum inflammationes expellimus. Non ſit in inciſis, cum vulnera, & inciſuras curamus. Non ſit in igneis cum inflammationes refrigeramus, morbóſque ex his prouenientes pellimus.

9 Super omnia autem caue ne retrograda malefica ſit in loco aphetico ſignificatore morbi, vel in ſigno dominante illi morbo: quod ſi non potes, procraſtina curationem, & lunationum vtere beneficio.

10 Cum vis aliquod membrum ſtupefacere, aut ſecare à corpore, pone eius dominatorem, & ſignum, in cadentibus, pigrum motu, & inanem.

11 Cum viſitas infirmum erige figuram in puncto primi decubitus, & conſidera Lunæ applicationes, & defluxiones à maleficis, vel beneficis, & motus quantitatem, & luminis: & ſic ex aſpectibus ad locum, vbi erat in morbi initio, iudicabis de mutatione ad ſalutem, vel perniciem: & criſes, & ſymptomata, an morbo faueant, vel officiant. dies enim critici non ex numeris, ſed ex eius aſpectibus citò vel tardè factis accipiuntur. Cætera vide in noſtris medicinalibus.

12 Laminas aſtrologicas, licèt D. Thomas approbet, quoad materiam & ſpeciem, nos conſultò omittimus.

In generatione.

ARTIC. III.

1 NVptias & conuiuia incipies cum ♀ est directa, orientalis, angularis, in sua dignitate, & Luminaria bene sese aspiciunt, in signis præsertim regiis & fortunatis. fac etiam, si potes, vt Luna ex ♌ ad ☿ applicet : super omnia autem, vt apheta & horoscopus à maleficis non infestentur.

2 In generationis hora pone Lunam in signo fœcundo, & in M. C. planetam beneficum, masculinum, si optas marem : fœminum, si fœminam, qui si in 1 1. vel 4. vel 5 fuerit, ibidem bonum erit, dum tamen à maleficis non lædatur. Melius autem erit si Luna Solis & aliorum planetarum lumen illi planetæ simul conciliet : nec de satellitio curas, sicuti de bonis aspectibus.

3 Cum vis coitu vti, & futuri nati scire, vel cooperari fortunæ, computa motus planetarum in 9. futuro mense. Et si cupis filium sapientem elige ♀ cum ☿ orientales in bono aspectu, ♄ in signo humano : & vtere coitu, ita vt in nono mense talis constellatio sit futura, quando nascetur. Similiter si dominatorem aliorum optas, elige tempus ad concubitum tale, vt post nouem menses sit Sol cum satellitio beneficorum, & cum regiis stellis in angulo, in signo masculino. & sic in cæteris operaberis inspiciendo quæ siderationes cui fortunæ, & corporaturæ, sint aptæ, & quando futuræ, prout in superioribus libris dictum est. Quod si Deus octimestrem, aut septimestrem faciat partum, tu feciſti, quod tuum est ordinario cursu. sic enim cum seminas frumentum, facis quod debes, & scis, euentúmque Deo committis. Stultum est autem eligere tempus seminandi animalia, & plantas, non autem hominum.

4 Oportet autem & significatores filiorum, qui dominantur in M. C. & 11. & 4. & 5. tunc consulere in puncto concubitus, & in bono statu eligere. Sic enim astra seruient tibi, & non tu illis.

De electione in animalium generatione.

ARTIC. IV.

1 SI vis equos fortes facere, pone Sagittarium, vel Pegasum, in horoscopo, aut in M. C. cum stella ♂ : si etiam pul-

chrum,adde ♀ teſtimonium : ſi varium & docilem, & ☿ : ſi ſuperbum & ambitioſum, adde ✱ : omneque ſignum quadrupedum eidem prodeſt. Luna autem conciliet illi lumen aliorum è ſigno prolifico.

2 Si bonos optas tauros, pone Lunam in ſigno quadrupedi in præfatarum quatuor domorum aliqua,& planetas fortes in M. C. & cætera vt ſuprà.

3 In piſcibus multiplicandis in piſcina, & cæteris animalibus propagandis, vtere ſignis illis correſpondentibus in cœlo.

4 Vbi humiditas generantium impedit prolificationem, vtere coitu, Luna ſub terra, & ſitienti, & in ſignis ſiccis, vbi ab aridítate & æſtu ſuper terram,plena & in humidis.

De regnis, & ciuitatibus, & republica.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 REx non à coronatione accipitur, ſed à puncto mortis paternæ, vel electionis : & tunc erige figuram. Conſidera ✱ & M. C. & omnes aphetas, & quæ in regno accident ex illis collige. Non eſt in hominum arbitrio facere regem fœlicem, non enim eligunt,quando vellent,ſed quãdo concordant,quod non fit ſubitò:vel quãdo moritur prædeceſſor,quod in Dei eſt voluntate.

2 Ciuitatem poteſt homo fundare quando voluerit. Pone ergo ſigna fixa in 4. angulis,& Leonem in M. C. vel in horoſcopo, & angulorum dominos in bono aſpectu Luminarium:faciéſque Solem aphetam, vel aliquem planetam ponderoſum dominum temporis.

3 Optimus eſt ♄ in bono ſitu, ſi ei Luminaria & planetæ omnes applicant. Significat enim durationem maximam, & quod regum, & populorum, diuitiæ, honores, & arma ſeruient illi ciuitati. ♃ conſimiliter potens erit bonus. Omitte planetas leues, quoniam parui temporis ſunt iudices. ♂ in bono ſitu cum ſatellitio,& dignitate, victorioſam faciet ciuitatem. Anomaliarum tarditas his fauet rebus.

4 In republica fundanda neque Luminaria aphetas facias,quoniam regibus illam ſubiiciunt; ſed potius Saturnum cum ſigno fixo ſibi conuenienti, ſíntque ſigna communia in angulis, & eorum domini in bono ſtatu ad mundum, & ad Solem, & dignitates. Fac etiam planetas ponderoſos aphetas, quibus applicent Luminaria:

minaria: & quemadmodum in regno primus triangulus Solis & Iouis laudatur: ita in republica tertius, qui est ♄ & ☿. Considera in cunctis lunationem præcedentem, vt congruat genesi reipublicæ, considera & situm. In maritimis enim eligimus figuras aqueas, in terris siccas & bouinas, aut equinas, aut prout vitæ ciuitatis magis conuenit.

De electione legis ferendæ.

ARTIC. II.

1 ELige populi comitia in nouilunio, vt ait Psaltes, quando & Hebræi neomenias celebrant, quoniam tunc aliquid initiatur noui. Pone ☿ saluum à maleficis in bono statu, & in M. C. signa æquinoctialia apta nouis legibus, & ibi Iouem. At quando lex non est ferenda, sed conseruanda, elige Lunæ trigonos & sextiles aspectus & signa fixa: omitte, quæ sunt initia rerum, ne quotidie legibus mutandis incumbas, vti Florentiarum olim respublica.

De loco mutando.

ARTIC. III.

1 QVando planeta maleficus transit per altitudinem planetæ significatoris in regni exordio, vel reipublicæ, vel ciuitatis, præsertim si retrocedens fuerit, aut stationalis; eóque magis si illi signo est inimicus, vt Saturnus Arieti ♑ & ♌: tunc quicunque illi subiiciuntur signo, patiuntur aliquid: vti & qui genituram talem habet: & tunc bonum est mutare regionem, si tua natiuitas non habet eundem significatorem: tunc enim nihil fortè iuuat.

De electione prælij.

ARTIC. IV.

1 CVm est committendum prælium, pone te eo in situ, in quo est Mars: vt si ♂ est orientalis, vel borealis, pone te cum exercitu ab oriente, vel à Borea: palam est enim, quod vt Sol conuertit comas arborum, sic & Mars spiritus animales. Obserua & latitudinem, semperque ab illa parte exercitum dispones, vt sit tibi à tergo, vel tecum, & non exaduerso.

2 Obſerua vt Sol terga feriat tui exercitus,inimici verò frontem: te enim ad ſequendũ,illos ad fugiendum ſuis radiis impellet:præterea illorum oculos cæcat,ne videant quos ferire habent:tuos autem non prẹſtringit.Sic Sol & planetæ pugnauerunt apud Cannas pro Carthaginenſibus terga habentibus ad Solem ſuper horizontem orientalem ſcandentem contra Romanos aduerſis oculis contuentes.Fortè & hoc Debora cecinit:Sol & Luna & ſtellæ manentes in ordine ſuo,pugnauerunt eos. Idem obſeruabis cum Luna.

3 Cum ſic pugnare coactus fueris , indumenta ferrea perpolita, & clypeos nudabis : vt ſaltem reflexi radij inimicorum oculos lædant & terreant.

4 Cum cometes apparuerit, aut oſtentum in cœlo, interpretare illud militibus pro te , & pone te , vnde motus cometæ & oſtenti cœpit, non quo applicauit:eiúſque curſum imitare.

5 Variatur viciſſim victoria vbi ♂ mutat latitudinem , & motum, aut incipit retrocedere. hoc obſerua. Scribit Caietanus ſuper 12. quod Guido Bonattus capta hora exiliit cum exercitu Fauentia,trucidauitque inimicos.

6 Caue ne pugnes quando ♂ eſt in aſpectu hoſtili tui horoſcopi, vel ſignificatoris rei,pro qua pugnandum eſt. In 7.nocet valde in horoſcopo receptus,& in bono aſpectu domini horoſcopi fauet.

7 Si in radice habes ♂ infœlicem , abſtine à militia , & ab omni re ſignificata à planeta alio quem infœlicem habes.

De ædificiorum electione.

ARTIC. V.

1 INcipe ædificia permanſura cum ſigna fixa 4. angulos occuparint , præcipuè 4. & planetæ ponderoſi inter ſe & ad angulum bene configurantur.

2 Item elige tarditatem anomaliarum tam fixarum & excentricitatis , quàm Lunæ : ſed illam rariſſime habes , vtere iſta & planetarum. Ad abſoluendum autem velocitas requiritur.

3 His ſi addas planetam beneficum in M.C.& Lunam ab eo ad 4.defluentem, fœliciſſimum erit.

4 Naturam influere ſuper artem indicat theriaca. Thomas lib. de fato.vide Metaphyſicam.

5 In regionibus frigidis feneſtras facies ad meridiem, & ortum Solis ſpectantes : in calidis ad occaſum & Boream , vel ad qua-

tuor

tuor angulos: & vtere luminum pro tempore proficuorum admissione.

De nauigationis electione.

ARTIC. VI.

1 OBserua maris in quo nauigas proprietates. Crassa enim aqua à calore æstiuo turbatur magis, vt in mari Persico; tenuis ab hyemali: mediocris à mediis quartis, vt patet in mari Indico. Quędã habent fluxum & refluxum à Sole, vt Oceanus: quædam augentur vnà cum Luna, vt Anglicum. Qui ista ignorat, naufragia incurrit.

2 Cum es nauigaturus, pone in horoscopo, & in 4. signo humido, & in eo beneficas corpore, vel aspectu amico: aut Luminaria in aspectu beneficarum, præcipuè retrogradarum, salua à maleficis.

3 Obserua lunationes sicuti docuimus in 3. lib. & quartas anni, & syzygias planetarum, & ostenta cœli, & ventorum, & procellarum indices. Vide ibi: non enim hic immorandum est cum satis de elementorum mutationibus ibidem dictum sit.

De itineris electione.

ARTIC. VII.

1 PRo itinere pone significatores tuæ geneseos in bono situ & Lunã velocem ab ipsis defluentem ad beneficas. Vel è cõtra.

2 Horoscopum in 3. vel 5. vel 9. desiderabis à maleficis saluum, & à quo defluat Luna corpore vel radio amico, aucta lumine, & numero, & in signis mobilibus.

3 Obserua etiam tempestates imminentes iuxta doctrinam in 3. libro, ne te obruant in via.

De agriculturæ electionibus.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 QVibus regionibus, qua in anni quarta, sub quibus lunationibus & fixis sit ferendum, arandum, & colligendum, primo inspice. Etenim sub æquatore bis in anno colligunt, cum duplicem habeant æstatem: ac post recessum Solis ab æquatore arant, serúntque: & in accessu metunt. Nimius enim calor accelerat maturationem frugum. In Ægypto verò paululum extra tropicos seminant post Nili inundationem in Septembri, colligúntque

que in Aprili. In regionibus frigidiſſimis ſeminant in Martio & Aprili. Neque enim in hyeme viuunt germina, ſed extinguuntur nimio frigore. Colligunt autem in fine Iulij, quoniam habent dies longos, qui maturent meſſem vna cum noſtratibus, vt in Moſchouia, Polonia, &c. At in Italia ſub quarta autumnali ſerimus, cum Sol in fine ♎, & in ♏ ſpatiatur: colligimus autem in fine Iunij.

2 Ratio omnium eſt, quoniam maturatio fit à calore multo ſiccóque: ſationi autem blandus & humidus requiritur: radicationi frigus, quod cogat ad ima virtutem ſeminalem: non autem interficiat. Propterea iuxta viciſſitudines caloris, & frigoris, & mediocritatis, modus ſeminandi, arandi & colligendi obſeruatur.

3 Si ſeminas in ſolo molli, aquoſo, elige Lunæ decrementum, & tempus cum eſt ſub terra, & in ſignis ſiccis. Alioquin nimia humiditas putrefaciet ſemina. Contrarium prorſus facies, cum ſicco & arenoſo ſolo committis ſemina.

4 Pone tamen ſemper ſignum fœcundum in 4. & aſpectum beneficarum.

5 Obſerua anni qualitatem ex quatuor ſuis quartis notas ex ingreſſu Solis in cardines, & lunationibus præcedentibus: & ante quàm ſemines, perſpice quale futurum ſit tempus collectionis, conſiderando quartas lunationes, & eclipſes, & cometas, & tempus executionis præfatorum decretorum: & ſic ea ſemina, eíſque in terris ſeminabis, quæ & in quibus ſcis iuuanda à conſtitutionibus cœli. Quæ autem præſcis vredine, nebulis, gelu, æſtu diro, aut pluuiis, & aduerſis ventis affligenda, non cõmittes telluri.

6 Hac ratione Thales ditatus eſt, ex lunatione in ortu Caniculæ intelligens parum olei collectum iri, emptum oleum præteriti anni totum in ſequenti triplo carius vendendo. Has regulas tradidimus in 3. libro. ditatur enim homo & à damnis futuris cauendo, & fructus præteritos ſeruando, vel diſtrahendo, prout præſcit copiam vel inopiam.

7 Cum ſeres, elige tempus humidum, & lunationem fœcundam beneficis configuratam: hyemem frigidam, vt radices altas agant ſata. ventoſas floritiones fœcundis ventis, qui alij ſunt aliis in regionibus, ex longa noris obſeruatione. cum colligis, ſiccam calidámque conſtitutionem.

8 Noſtra in regione ortus Vergiliarũ indicat ſationem æſtiuorum ſeminũ: occaſus verò tritici & frugum: occaſus Fidiculæ, vel Aquilæ, aperit ver, & vineas putat, oppoſitum tempus vrit ſtipulas.

9 Cum

9 Cùm præoccidit Canicula in Aprili fiunt Rubigalia Romanis, quoniam solet tunc rubigo fruges præoccupare:& paulò post Floralia : vbi si plenilunium accidat, fruges & flores necat. Sic vuas in exortu Caniculæ, & oleas floreſcentes. Democritus autem oleis & vitibus timet in exortu Vergiliarum, alij in exortu vespertino Aquilæ. In cuius matutino exortu timetur hybernis præcocibúsque frugibus.de quibus in 3.lib.

10 Sidera rustici ignorant, nisi per plantas. Nam heliotropium & lupinum cum Sole gyrant,& horas indicant dici. Refluxus comarum tiliæ, oleæ, populi,solstitia indicant ad vnguem, sed præcipuè florentis pulegij : & sicci brumam indicat, ideſt introitum Solis in ♑,cardui verò in ♋. Germinatio mori certum signum transacti frigoris : cicindelarum apparitio exortum Vergiliarum, vel floritio fabarum, aut apiculæ egressus ad pastum : aduentus hirundinis ver,occasum Fidiculæ,& fauonios: foliorum arborum casus dat occasum Vergiliarum. Sed hæc celebrata Romanis non prorsus congruunt nostro tempori,nisi quæ à plantis capiuntur indicia.Vide lib.3.

11 Nescio quæ sympathia nobis cum tota naturæ serie ineſt. Nam cum vua calcatur,solent grassari prælia,& sanguis humanus effundi plerumque. Cum putantur vineæ,capita truncari humana, & suffocatiui catharri grassari suerunt. Cum florent arbores, semina corporis & ingenij turgent, floréntque,& ad quasdam incitant fructificationes. Cum colliguntur, sterileſcimus : vnde signum ♍ sterile vocatur.Cum venti plurimi diu flant,colligimur in penetralia domorum, & tunc consilia peſſima ineuntur : vnde fœminæ solent insidiosa molimina prognosticari.Nec ista ratione vacant: nam etsi respectu causarum secundarum per accidens fiat,vt hæc herba simul cum illa floreat,inquit S.Thomas super 6. Metaph. tamen respectu cœli habet causam. Similes enim affectus corporeos influunt omnibus stellæ corporibus, sed modificantur pro genere & qualitate recipientium.

12 Plantabis arbores cum Luna fœcundis eſt in signis, & aucta lumine,& super terram,in solo sicco, arenoſóque:è contra in humido. In mediocri elige signum fœcundum & Lunam sub terra creſcentem,aut super terra decreſcentem.

13 Elige signa terrestria, vt Taurum, in plantatione arborum: non autem Leonem, quia sterileſcunt.Conuenit plantis excelsis, vt abieti,fago,quercui,Aquarius:neque enim fiunt in paluſtribus.

14 Inſeres arbores cum Luna planetis applicat fœcundis,& dominus arboris eſt in bono ſtatu. Dicatur enim omnis planta ſuo planetæ.

15 Prodeſt maximè cum planeta fœcundus applicat fœcundo retrogrado,vt fiat applicatio robuſta duplex: quæ melior eſt corpore,quam radio.

16 Eædem regulæ valent in tranſplantationibus.

17 Collige frumentum & fructus cum tempus eſt ſiccum, & Luna in decremento. Similiter vuam. Alioquin flacceſcent & putreſcent humore affecta nimio: ſi non ſtatim in vere cum à calore humor ſuſcitatur. Fiunt etiam vermibus opportuna, niſi ſicco tempore colligantur. Vua autem penſilis ſubitò flacceſcit.

In lignorum ſectione electio.

ARTIC. II.

1 LIgna ex quibus vis naues texere,aut domos tegere,& pauimenta ſuſtinere longiſſimis temporibus,non cædes niſi Sole à noſtris regionibus remotiſſimo, & Luna decreſcente, ac ſub terra. tunc enim ſolidiſſima ſunt, vermibus & putredini nil opportuna. Quapropter optimè eligunt Lunam deficientem ante introitum Solis in ♑. tunc enim à nobis remotiſſimus, & adhuc recedens eſt,lignáque humore carent.

2 Si autem ligna cædis, quæ putreſcant, & ſint opportuniora ignibus, elige ver quando Sol ad nos accedit, & Lunam creſcentem,ac ſupra terram.

3 Si vis cædere ſyluam, & arbores, & ramos, vt melius repullulent atque germinent, idem facito in Luna creſcente: manifeſtè enim qui barbam radit eo tempore,ſtatim prolixiorem & celeriorem recuperat.in ſitienti,è contra.

Electio in contractibus.

ARTIC. III.

1 IN vendendo elige planetam ſignificatorem rei venalis in angulo,fortem,& exiſtimatum valde: ſignificatorem verò auri, vt Solem;vel argenti,vt Iouem,in cadentibus. Cum autem emis è

contra

contra pone in ſua dignitate ſignificatorem monetæ, & in cadentibus rei emptibilis planetam. Placet regula, ſed cum negotiatio ſit tota arbitraria, non verificabitur vſque.

2 Potes etiam Lunam à beneficis ad partem fortunæ tuæ radicis applicantem eligere, & ♃ lumen deferentem: & cum vendis ad dominos fortunæ defluentem. In his tamen induſtria, & rerum, & pretij conſideratio plus valent. Sic in ludo, in quo locum fortunæ, & dominos loci, & directionis, & progreſſus conſiderabis, an à maleficis, vel beneficis tunc temporis, & à Luminaribus bene vel male afficiantur.

De dierum electione.

CAPVT VI.

1 HAbebant Ægyptij dies fauſtos & infauſtos: in illis operabãtur, in his cauebant: ſimiliter & Romani. Hoc autem ex obſeruatione, quod facinora talium dierum illis infœliciter ſuccedebant, rationem habet. Vnde quartam nonam, quia ad Aliam infœliciter pugnarunt, vitabant. Sunt & alij quibus nocet dies Sabbathi, aliis dies Martis: & in certis diebus fœlices ſucceſſus ſortiuntur, in aliis infauſtos: propterea videndum an ratio his faueat & experientia.

Legimus in Eccleſiaſtico, quod Deus dierum alios benedixit, alios maledixit, & ſic videtur à Deo hanc doctrinam ortum habere. Præterea iurare poſſum, quod omnia mala ingentia, quæ pertuli in mundo, mihi contigerunt in die Veneris & Martis: bona in Dominico, & Mercurij die, quædam mediocria in die Lunæ, & Iouis. Mala autem horum dierum in bonum ceſſere, ſicuti è contra illorum bona. Septies tormento applicatus fui: ſemper in die ♂ aut ♀. Quoties captus, aut afflictus, aut inſidias paſſus, fuit dies ♂ aut ♀. Vnde cogor ab his diebus cauere. Item familia illuſtris Mendozinorum in Hiſpania nihil aggreditur in die ♂ quia ſemper cedit illis infœliciter. Vnde à magiſtratu ſanctæ Inquiſitionis priuilegium habent cauendi in hoc die abſque ſuperſtitionis nota. Quod autem illis conuenit ſine ſuperſtitione, cur non & cæteris? Nec poſſumus dicere, quod talibus in diebus apheta maleficis occurſat. Hoc enim impoſſibile, & contra experientiam. Nec quod diabolus ita curſum fatalem modificet, vt talibus in diebus

nobis obsit. Non enim seriem rerum potest diabolus peruertere, vt Patres testantur. Oportet ergo ponere dominia planetarum certis diebus.quod Babylonij primi fecerunt: & Ægyptij, Græci, &Romani,prosecuti sunt.Primum enim diem Soli,secundum Lunæ,tertium Marti,quartum Mercurio,quintum Ioui, sextum Veneri, septimum Saturno in septimana damus tam antiqua obseruantia:nec à scrupulosissimis Christianis euersa est. Fundamentum ergo habet in veritate. Vnde Deus in septem diebus dicitur mundum creasse,quos planetis dicat.

2 Sed dies non nominantur iuxta seriem planetarum. Sic enim inciperemus à ♄,& desineremus in Luna: sed iuxta seriem horarum 24. ex quarum numeratione ab initio diei Solis incepta accidit, vt prima hora sequentis diei detur Lunæ & prima subsequentis Marti, & sic de cæteris. Faciunt enim horas ciuiles inæquales,ac omnis dies 12. & omnis nox 12.habent horas.

3 Equidem hæsitaui multum in hoc: nec possum tam antiquam damnare traditionem, neque satis approbare. Vnde sanctus Thomas in opusc. respondens huic quæsito ait, nihil contra fidem, nec pro fide Catholica, statui ex hac dierum ex planetis nomenclatura, & partitione: nec de his Theologo nimis curandum. Sic & ego facerem, nisi scientiæ huius complementum vrgeret. Et quamuis in prophetalibus nomina idolorum è diebus & mensibus expungenda dixerim: non tamen planetarum,si physicè in eis possunt.

4 Profectò si Deus statuit septenarium in exordio rerum: in exordiis autem latent progressus,& fines,& res:& septem planetas intra fixarum theatrum locauit ad rerum mutuum regimen (nam etsi detur Solem quiescere,tamen vt mobilem gubernatorem licet accipere:) vtique dabitur & septimana annorum eisdem planetis respondens,& septimana mensium,& dierum, & horarum, & iterum centenariorum, & millenariorum. Vnde dixit Dauid, quod mille anni sunt sicut vnus dies. Et idem repetit Petrus Apostolus. Et in Daniele dantur annorum septimanæ, & decadum, & centenariorum, vt & myriadum. Rabbini autem, testantes Heliam, idem astruunt,& quod Messias venturus est in quarto millenario, quia in quarto die creatus est Sol eius typus. & verè Christus venit circa finem quarti millenarij. Quis autem potest dierum, & mensium, & horarum, & hebdomadarum ab initio mundi, nobis ignoto ob varietatem chronologiarum, rationem tenere?

Quod

Quod autem notum est nobis de planetarum dominiis nil negemus.

5 Puto ergo in primo millenario præfuisse ♄, vnde sæculum aureum sub eo celebrant scriptores : in secundo ♃ : in tertio ♂ : in quarto ☀ : in quinto ♀ : in sexto ☿, in quo nunc sumus : in vltimo ☽, quando omnia variabuntur. Vel si imitaris ætates hominis in mundi ætate, incipe à Luna. Nam in quarta etiam erit Solis gubernatus. Sic in centenariis,& decadibus,& septimanis,& mensibus, & locis procedendum. & si consulas historias, non refragatur experientia. vide prophetalia.

6 Quod autem planetæ id sortiantur, contestantur leges nationum, vt Haly & Cardanus notarunt. Hebræi enim saturninos habent mores, & legem acceperunt in Ægypto sub triangulo ♄ ☿. Ideo colunt sabbathum ♄ diem : quoniam, vt ait Ficinus, Rabbinorum testimonio ♄ est ineptus actionibus, & infœlix, aptus autem contemplatiuæ. Ideò in die ♄ vacandum diuinis, & placandus Deus, qui & hoc secundum naturam à se conditam instituit, & in die ♄ requieuit ab operibus. Item sunt eloquentes & religiosi, & mercatores à ☿. Et omnis lex legi hebraïcæ adhæret, & ab eius figuris, & libris probat sua dogmata : quoniam omnis lex indiget expositione & ratiocinio, quod Mercurio datur. Et omnis planeta applicat ♄, & non è contra. Lex Christiana quia cœpit sub trigono Solis & Iouis, colit pietatem, puritatem, castitatem, & omnes virtutes, celebrátque diem Solis, qui typus est Messiæ. Macometana, quæ sub trigono Martis cœpit & Veneris & Lunæ, plena est luxuriis, & impudicitia, & variabilitate. Habet Lunam pro insignibus, & diem Veneris obseruat. Videntur ergo res omnes humanæ planetas habere, aut tanquam causas, aut concausas, aut typos. & sic de diebus philosophabimur.

7 Sed distributio septimanæ ex serie horarum non tenet seriem planetarum. Fortè etiam sic in mundi millenariis currimus. Hoc autem examinari per historias oportet:ex moribus enim cuiusque temporis dominatorem temporis licet agnoscere, sicuti ex die mercatus signa, & planetas dominantes, in primo libro agnouimus, vel ex parte.

8 Sed contra hanc doctrinam est Apostolus condemnans eos, qui obseruant dies, & annos. Similiter in decreto Gratiani damnantur obseruatores dierum Ægyptiorum.

9 Respondeo ab Apostolo condemnari eos, qui superstitiosè obseruant dies, & veteris legis neomenias, tamquam in illis ponentes salutem: non autem qui physicè, aut ex Dei instituto, vel Ecclesiæ: alioquin, nec diem Paschatis recte seruaremus: nec leprosus Iudæus ritè abstineret à porcina, si physicè, & non moraliter abstinet. Condemnant Pontifices superstitiosè colentes dies Ægyptiorum, non autem physicè: constat enim, quod sicuti in æstate non seminantur fabæ (quod si seminantur, non ferunt fructum, quoniam illis tunc est contraria constitutio cœli) sed seminantur rectè in Decembri, quando fauet: sic nec in die mihi non fauenti, ob planetæ in dominatu successionem, debeo id quod ab illo mihi prohibetur aggredi. Sunt enim & negotia moralia certis conuenientia, & disconuenientia temporibus, & constellationibus, saltem dispositiuè, vt dicebamus. quod dæmon bene nouit, teste S. Thoma. Sic ergo puto Inquisitores indulsisse Mendozinis talem obseruantiam. Insuper aio dies Ægyptiacos superstitiosè coli: non enim iidem omnibus sunt fausti & infausti.

10 Sed quando agnosces diem tibi faustum & infaustum? Ex experimentis bonis & malis. At quando mihi Venus & Mars contrarij, cum in mea genesi sit ♀ à Sole orientalis & domina? Respondeo, quod tam ♀, quam ♂, sunt in suo casu, ♀ in ♍, ♂ in ♎: ideóque infœlices: præsertim cum ♀ sit in 12. & quicunque habent planetam sic infœlicem, illius diem debent considerare.

11 Haly Abenragel ex eo, quod hora ♄ nauis è portu soluit, prædixit illi naufragium, vti euenit: sed non satis prudenter. accidit enim id ex leuissima suspicione: quoniam dominia horaria, & diaria, sunt minimæ indicationis. Oportuisset lunationem potius, & nauis natiuitatem, considerare, & alia, quæ solent, multa.

12 Quapropter statuo leuissimas suspiciones, non autem dæmonstrationes, aut probabilitates, capi ex dominiis horariis, & diariis: & Ecclesiam Dei meliùs consulere, vt duce Deo per orationem aggrediamur negotia, quam per istas innumeras, & futiles frequentissimè obseruationes, & sæpe superstitiosas, cum sunt falsæ, & dæmon ingeri possit vanis obseruantiis.

13 Quando igitur dicitur Deus dies benedixisse, & maledixisse, intelligitur respectu nostri, non temporis. Constat enim quod ignis nos comburens, est nobis maledictus: sic spina pungens: cum tamen in se sint omnia valdè bona. sic & dies. Attamen Iobo est maledicta dies natiuitatis sibi, non diei: quoniam tunc in miseriis

rias incidit humanas. respectiuè igitur, non absolutè, loquitur Ecclesiasticus.

14 Melius est constellationes fauentes secundum tuam genituram respicere, quàm has horarias gubernationes. Omnia tamen si concordauerint, optimè fiet.

15 Quærunt Hebræi quomodo dies Christianorum morales conueniant naturalibus, cum Moysi lex tota Physiologiæ adaptetur: ideóq; videatur omnibus prę ferẽda, eo quòd Deus eorũ comprobatur esse idem conditor naturæ & legis. Respondeo, quod author naturæ est conditor legis hebraïcæ, & christianæ. In illa expressit planetas, & signa cœli, & in hac pulchrius declarauit. Dies Dominicus obseruatur, quoniam mundus & lux in eo cœpit, & post septimanam temporum sæculorum in eo erit quies per reuersionem ad primum principium. in Sabbatho autem non est reuersio. Sol est Astrorum dominus, non ħ. Item festa mobilia valdè consonant. Pascha celebramus in prima lunatione, quando resurgit Christus, & arbores, & semina demortua resurgunt. Ascensionem, quando res calore vincente sursum spiritus & halitus emittunt. Aduentum Spiritus sancti, quando calor solaris multus ad nos descendit. Aduentum Christi, quando Solis reditum ante brumam speramus. Christi natalem, quando Sol incipit ad nos reuerti: & sancti Ioannis, quando recedere, vt ait Augustinus: quoniam dixit: Oportet me minui, illum autem crescere. Quadragesimam cum Sol est in Piscibus celebramus. Et cum humores exuberant, ieiunamus vtiliter. In manè anni Christus resurgit, ver est mane. In meridie ascendit cœlum, & mittit Spiritum, æstas est meridies. In Autumno Matthæus abeuntis scribit Euangelium, tanquam in fero, & senecta anni. In bruma, quæ est ætas decrepita, nascitur Christus, & in media nocte, cum dies incipit crescere. Duodecim Apostoli mensibus duodecim dantur. Matthias in bissexto intercalatur pro Iuda. Beata Virgo sicut Luna quindecim crescit mysteriis. Qui erunt aliqua peritia indagabunt. etenim S. August. est hic modus in serm. de S. Iob.

De

De electionibus generaliter.

CAPVT VII.

1 IN omni actione considera significatorem illius in tuæ genesis radice: & vide quomodo in principio vitæ se habet ad bonum & malum, & in quibus habes illum infœlicem abstine. vt qui ♂ habet in despecto loco, non fiat miles. Si verò fœlicem, aut non infœlicem, vide in principio actionis quomodo se habet ad Solem, & mundum, & angulos, & dignitates, & configurationes, & si bene, aggredere: si malè, non inceptes.

2 Cum gubernator, aut apheta honoris, vel diuitiarum, vel sanitatis, &c. mutatur de signo in signum, erige figuram: & vide quis planeta illum aspiciat, aut eius in loco sit. Et secundum illud iudica de re significata nati, vel regis, vel ciuitatis. Vt si ♄ in M. C. respiciens gubernatorem in 7. natus, vel rex, vel ciuitas, negligetur à suis propter auaritiam. Et si debilis est radicalis figura, patietur insidias. Sed nil peius, quàm si retrogradus malefícus super locum exaltationis significatoris incedat.

3 Pessima est dispositio, quando Saturnus Marti respondendo opponitur, & alter ipsorum est gubernator: vel si retrogradi, & coniuncti ambo malè aspiciunt significatorem, præsertim occidentalem, & sub radiis Solis: vel si iungantur, aut opponantur, aut quadrentur significatori. Ac proinde pro natura signi, in quo damnatur significatum, fit qualificatio. Nam in ♋ naufragat: in ♊ à latronibus patitur, vel in facultatibus animæ: in ♉ terræmotus, vel armentorum iactura: in ♍ in frugibus ob siccitatem: & erit rabies animalium. sic de cæteris, vt in 2. & 4. lib.

4 Considera consimiliter in cunctis rebus, & negotiis, dominos progressionum, & directionum, nedum aphetas: & vide quomodo se habent ad bonum, vel malum: & sic incipe, vel cessa. Hoc idem faciunt omnes artifices, nauræ, agricolæ, medici, fabri. Cúrni & astrologus communibus in causis & propriis?

5 Qui autem Deo committit opus suum, dominatur astris: qui sensui & affectioni, seruit astris: qui rationali iudicio, veluti in hoc opere docemus, vtitur astris.

FINIS.

Horaria tempora diurna in Borealibus, & opposita nocturna in Australibus.

	Pol. 36.	39.	42.	
♈ 0	15. 0. 0	15. 0. 0	15. 0. 0	30
3	15. 8. 50	15. 9. 50	15. 10. 50	27
6	15. 19. 10	15. 19. 20	15. 21. 40	24
9	15. 25. 50	15. 28. 50	15. 32. 10	21
12	15. 34. 30	15. 38. 30	15. 42. 50	18
15	15. 43. 10	15. 48. 10	15. 53. 40	15
18	15. 51. 50	15. 57. 40	16. 4. 10	12
21	16. 0. 10	16. 7. 10	16. 14. 30	9
24	16. 8. 30	16. 16. 0	16. 25. 0	6
27	16. 17. 0	16. 25. 50	16. 35. 20	3
♉ 0	16. 25. 0	16. 34. 50	16. 45. 30	♍ 0
3	16. 33. 0	16. 43. 40	16. 55. 30	27
6	16. 40. 50	16. 52. 30	17. 5. 20	24
9	16. 48. 30	17. 1. 10	17. 15. 10	21
12	16. 56. 0	17. 9. 30	17. 24. 20	18
15	17. 3. 0	17. 17. 40	17. 33. 30	15
18	17. 10. 0	17. 25. 30	17. 42. 10	12
21	17. 16. 50	17. 33. 50	17. 50. 30	9
24	17. 23. 10	17. 40. 0	17. 58. 30	6
27	17. 29. 20	17. 47. 10	18. 6. 30	3
♊ 0	17. 35. 0	17. 53. 20	18. 13. 30	♎ 0
3	17. 40. 20	17. 59. 10	18. 20. 10	27
6	17. 46. 0	18. 4. 30	18. 26. 20	24
9	17. 49. 30	18. 9. 30	18. 31. 40	21
12	17. 53. 20	18. 13. 50	18. 36. 20	18
15	17. 56. 30	18. 17. 30	18. 40. 41	15
18	17. 59. 10	18. 20. 30	18. 44. 10	12
21	18. 1. 20	18. 23. 0	18. 47. 0	9
24	18. 2. 50	18. 24. 20	18. 48. 50	6
27	18. 3. 50	18. 25. 40	18. 49. 50	3
30	18. 4. 10	18. 26. 10	18. 50. 30	♋ 0

	45.	48.	51.	
♈ 0	15. 0. 0	15. 0. 0	15. 0. 0	30
3	15. 12. 0	15. 13. 20	15. 14. 50	27
6	15. 24. 0	15. 26. 40	15. 29. 40	24
9	15. 35. 50	15. 39. 40	15. 44. 10	21
12	15. 47. 40	15. 52. 30	15. 58. 50	18
15	15. 59. 30	16. 6. 0	16. 13. 40	15
18	16. 11. 20	16. 19. 20	16. 28. 10	12
21	16. 23. 0	16. 32. 20	16. 42. 40	9
24	16. 34. 40	16. 45. 10	16. 57. 0	6
27	16. 46. 10	16. 58. 0	17. 11. 20	3
♉ 0	16. 57. 20	17. 10. 40	17. 25. 30	♍ 0
3	17. 8. 20	17. 22. 5	17. 39. 20	27
6	17. 19. 30	17. 35. 10	17. 53. 10	24
9	17. 30. 20	17. 47. 20	18. 6. 40	21
12	17. 40. 40	17. 59. 10	18. 19. 50	18
15	17. 50. 50	18. 10. 30	18. 32. 50	15
18	18. 0. 30	18. 21. 20	18. 45. 0	12
21	18. 10. 10	18. 32. 0	18. 57. 10	9
24	18. 19. 10	18. 42. 10	19. 8. 40	6
27	18. 27. 40	18. 52. 10	19. 20. 10	3
♊ 0	18. 35. 50	19. 1. 10	19. 30. 20	♎ 0
3	18. 43. 30	19. 9. 50	19. 40. 0	27
6	18. 50. 10	19. 17. 20	19. 48. 50	24
9	18. 56. 30	19. 24. 20	19. 56. 50	21
12	19. 1. 50	19. 30. 50	20. 4. 0	18
15	19. 6. 40	19. 36. 10	20. 10. 20	15
18	19. 10. 40	19. 40. 40	20. 15. 0	12
21	19. 13. 50	19. 44. 10	20. 19. 20	9
24	19. 15. 50	19. 46. 30	20. 22. 20	6
27	19. 17. 10	19. 48. 10	20. 24. 0	3
♋ 30	19. 17. 40	19. 48. 50	20. 24. 50	♏ 0

	54.	57.	60.	
0	15. 0. 0.	15. 0. 0	15. 0. 0.	30
3	15. 16. 30	15. 18. 30	15. 20. 50	27
6	15. 33. 0	15. 36. 50	15. 41. 30	24
9	15. 49. 20	15. 55. 10	16. 2. 0	21
12	16. 5. 40	16. 13. 30	16. 22. 40	18
15	16. 22. 10	16. 31. 50	16. 45. 10	15
18	16. 38. 30	16. 50. 10	17. 4. 10	12
21	16. 54. 30	17. 8. 20	17. 24. 50	9
24	17. 10. 40	17. 26. 30	17. 45. 30	6
27	17. 26. 50	17. 44. 40	18. 6. 0	3
♉ 0	17. 42. 40	18. 2. 30	18. 26. 20	♍ 0
3	17. 58. 20	18. 20. 20	18. 46. 30	27
6	18. 13. 40	18. 38. 0	19. 6. 50	24
9	18. 29. 0	18. 55. 20	19. 26. 50	21
12	18. 44. 0	19. 12. 20	19. 46. 20	18
15	18. 58. 40	19. 29. 0	20. 6. 0	15
18	19. 12. 40	19. 45. 10	20. 25. 0	12
21	19. 26. 30	20. 1. 10	20. 43. 30	9
24	19. 39. 40	20. 16. 30	21. 1. 40	6
27	19. 52. 30	20. 31. 20	21. 19. 10	3
♊ 0	20. 4. 20	20. 45. 10	21. 36. 0	♎ 0
3	20. 15. 30	20. 58. 20	21. 52. 0	27
6	20. 25. 40	21. 10. 20	22. 6. 20	24
9	20. 35. 0	21. 21. 20	22. 20. 0	21
12	20. 43. 30	21. 31. 20	22. 32. 10	18
15	20. 50. 40	21. 40. 0	22. 43. 0	15
18	20. 56. 30	21. 47. 0	22. 52. 0	12
21	21. 1. 30	21. 52. 50	22. 59. 10	9
24	21. 4. 50	21. 56. 50	23. 4. 20	6
27	21. 6. 50	21. 59. 1	23. 8. 20	3
30	21, 7. 40	22. 0. 20	23. 8. 40	♋ 0

Tabella Ascensionum rectarum Tychonica.

G.	♈	♉	♊	♋	♌	♍
0	0. 0. 0	27.53.43	57.48. 7	90. 0. 0	122.11.53	152. 6. 18
1	0. 55. 1	28.51. 5	58.50.40	91. 5. 27	123.14.16	153. 3. 31
2	1. 50. 2	29.48.36	59.53.23	92. 10. 53	124.16.29	154. 0. 36
3	2. 45. 4	30.46.16	60.56.16	93. 16. 18	125.18.32	154.57.33
4	3. 40. 7	31.44. 5	61.59.19	94. 21. 42	126.20.24	155.54.22
5	4. 35.11	32.42. 3	63. 2. 32	95. 27. 5	127.22. 5	156.51. 3
6	5. 30.17	33.40.11	64. 5. 55	96. 32. 25	128.23.35	157.47.37
7	6. 25.25	34.38.29	65. 9. 27	97. 37. 42	129.24.54	158.44. 4
8	7. 20.35	35.36.57	66.13. 8	98. 42. 56	130.26. 3	159.40.23
9	8. 15.47	36.35.35	67.16.57	99. 48. 6	131.27. 1	160.36.36
10	9. 11. 2	37.34.23	68.20.54	100.53.12	132.27.48	161.32.43
11	10. 6. 20	38.33.22	69.24.59	101.58.13	133.28.24	162.28.44
12	11. 1. 41	39.32.32	70.29.12	103. 3. 9	134.28.49	163.24.39
13	11.57. 6	40.31.52	71.33.32	104. 8. 1	135.29. 2	164.20.28
14	12.52.35	41.31.22	72.37.59	105.12.47	136.29. 5	165.16.12
15	13.48. 9	42.31. 3	73.42.33	106.17.27	137.28.57	166.11.51
16	14.43.48	43.30.55	74.47.13	107.22. 1	138.28.38	167. 7. 25
17	15.39.32	44.30.58	75.51.59	108.26.28	139.28. 8	168. 2. 54
18	16.35.21	45.31.11	76.56.51	109.30.48	140.27.28	168.58.19
19	17.31.16	46.31.36	78. 1. 47	110.35. 1	141.26.38	169.53.40
20	18.27.17	47.32.12	79. 6. 48	111.39. 6	142.25.37	170.48.58
21	19.23.24	48.32.59	80.11.54	112.43. 4	143.24.25	171.44.13
22	20.19.37	49.33.57	81.17. 4	113.46.53	144.23. 3	172.39.25
23	21.15.57	50.35. 6	82.22.18	114.50.34	145.21.31	173.34.35
24	22.12.24	51.36.25	83.27.35	115.54. 6	146.19.49	174.29.43
25	23. 8. 58	52.37.55	84.32.55	116.57.29	147.19.57	175.24.49
26	24. 5. 39	53.39.36	85.38.18	118. 0. 42	148.15.55	176.19.53
27	25. 2. 28	54.41.28	86.43.42	119. 3. 45	149.13.44	177.14.56
28	25.59.25	55.43.31	87.49. 7	120. 6. 38	150.11.24	178. 9. 58
29	26.56.30	56.45.44	88.54.33	121. 9. 20	151. 8. 55	179. 4. 59
30	27.53.43	57.48. 7	90. 0. 0.	122.11.53	152. 6. 18	180. 0. 0.

Tabella Aſcenſionum rectarum Tychonica.

	♎	♏	♐	♑	♒	♓
0	180. 0. 0	207.53.43	237.48. 7	270. 0. 0	302.11.53	332. 6. 18
1	180.55. 1	208.51. 5	238.50.40	271. 5. 27	303.14.16	333. 3. 31
2	181.50. 2	209.48.36	239.53.23	272.10.53	304.16.29	334. 0. 36
3	182.45. 4	210.46.16	240.56.16	273.16.48	305.18.32	334.57.33
4	183.40. 7	211.44. 5	241.59.19	274.21.42	306.20.24	335.54.22
5	184.35.11	212.42. 3	243. 2. 32	275.27. 5	307.22. 5	336.51. 3
6	185.30.17	213.40.11	244. 5. 55	276.32.25	308.23.35	337.47.37
7	186.25.25	214.38.29	245. 9. 27	277.37.42	309.24.54	338.44. 4
8	187.20.35	215.36.57	246.13. 8	278.42.56	310.26. 3	339.40.23
9	188.15.47	216.35.35	247.16.57	279.48. 6	311.27. 1	340.36.36
10	189.11. 2	217.34.23	248.20.54	280.53.12	312.27.48	341.32.43
11	190. 6. 20	218.33.22	249.24.59	281.58.13	313.28.24	342.28.44
12	191. 1. 41	219.32.32	250.29.12	283. 3. 9	314.28.49	343.24.39
13	191.57. 6	220.31.52	251.33.32	284. 8. 1	315.29. 2	344.20.28
14	192.52.35	221.31.22	252.37.59	285.12.47	316.29. 5	345.16.12
15	193.48. 9	222.31. 3	253.42.33	286.17.27	317.28.37	346.11.51
16	194.43.48	223.30.55	254.47.13	287.22. 1	318.28.38	347. 7. 25
17	195.39.32	224.30.58	255.51.59	288.26.28	319.28. 8	348. 2. 54
18	196.35.21	225.31.11	256.56.51	289.30.48	320.27.28	348.58.19
19	197.31.16	226.31.36	258. 1. 47	290.55. 2	321.26.38	349.53.40
20	198.27.17	227.32.12	259. 6. 48	291.39. 6	322.25.37	350.48.58
21	199.23.24	228.32.59	260.11.54	292.43. 4	323.24.25	351.44.13
22	200.19.37	229.33.57	261.17. 4	293.46.53	324.23. 3	352.39.25
23	201.15.57	230.35. 6	262.22.18	294.50.34	325.21.31	353.34.35
24	202.12.24	231.36.25	263.27.35	295.54. 6	326.19.49	354.29.43
25	203. 8. 58	232.37.55	264.32.55	296.57.29	327.17.57	355.24.49
26	204. 5. 39	233.39.36	265.38.18	298. 0. 42	328.15.55	356.19.53
27	205. 2. 23	234.41.28	266.43.42	299. 3. 45	329.13.44	357.14.56
28	206.59.25	235.43.31	267.49. 7	300. 6. 38	330.11.24	358. 9. 58
29	206.56.30	236.45.44	268.54.33	301. 9. 20	331. 8. 55	359. 4. 59
30	207.53.43	237.48. 7	270. 0. 0	302.11.53	332. 6. 18	360. 0. 0.

Tabula declinationum Tychonica Borealis in ſignis Borealibus, Auſtralis in Auſtralibus.

	♈ ♎	♉ ♏	♊ ♐	
0	0. 0. 0	11. 30. 43	20. 13. 22	30
1	0. 23. 56	11. 51. 48	20. 25. 57	29
2	0. 47. 53	12. 12. 40	20. 38. 9	28
3	1. 11. 49	12. 33. 21	20. 49. 58	27
4	1. 35. 43	12. 53. 49	21. 1. 25	26
5	1. 59. 37	13. 14. 5	21. 12. 29	25
6	2. 23. 28	13. 34. 7	21. 23. 7	24
7	2. 47. 16	13. 53. 57	21. 33. 22	23
8	3. 11. 4	14. 13. 32	21. 43. 15	22
9	3. 34. 47	14. 32. 53	21. 52. 42	21
10	3. 58. 28	14. 51. 59	22. 1. 45	20
11	4. 22. 4	15. 10. 50	22. 10. 22	19
12	4. 45. 37	15. 29. 26	22. 18. 35	18
13	5. 9. 5	15. 47. 47	22. 26. 22	17
14	5. 32. 29	16. 5. 51	22. 33. 44	16
15	5. 55. 47	16. 23. 49	22. 40. 39	15
16	6. 18. 58	16. 41. 9	22. 47. 10	14
17	6. 42. 6	16. 58. 22	22. 53. 13	13
18	7. 5. 6	17. 15. 18	22. 58. 51	12
19	7. 28. 0	17. 31. 54	23. 4. 3	11
20	7. 50. 46	17. 48. 14	23. 8. 47	10
21	8. 13. 26	18. 4. 14	23. 13. 5	9
22	8. 35. 58	18. 19. 57	23. 16. 56	8
23	8. 58. 20	18. 35. 18	23. 20. 20	7
24	9. 20. 34	18. 50. 21	23. 23. 18	6
25	9. 42. 4	19. 5. 4	23. 25. 48	5
26	10. 4. 38	19. 19. 26	23. 27. 51	4
27	10. 26. 24	19. 33. 27	23. 29. 27	3
28	10. 48. 2	19. 47. 7	23. 30. 35	2
29	11. 9. 27	20. 0. 26	23. 31. 17	1
30	11. 30. 43	20. 13. 22	23. 31. 30	0
	♓ ♍	♒ ♌	♑ ♋	

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Opus hoc, Astrologe, sex libris, quos vno volumine compactos simul acceperam, ex ipsius authoris, vt videbatur, mente circumscripseram. Cum autem iam quieuisset prælum, ecce, septimus hic liber allatus est ex Italia: quo, quia maximam præfert iucunditatem vtilitatémque, non putaui te esse frustrandum.

ASTROLOGICORVM

LIBER SEPTIMVS.

De ſiderali fato vitando.

Stellarum fata vitari poſſe.

CAPVT I. ARTIC. I.

1 NVLLVM humani generis malum abſque remedio permiſit Deus.

2 Siquidem contra animorum morbos morales ſcientias doctrináſque largitur:& quò non pertingit diſciplina, ſupplet diuini auxilij remedium : contra morbos corporis medicinam : contra mortem corporis animæ immortalitatem , quæ corporis mortalitatem abſorbet diuinæ vitæ gratia iuuante : contra familiæ mala eſt œconomica ſcientia artéſque mechanicæ : contra reipublicæ mala politica ſcientia & lex ſunt medela : aduerſus fortuitos caſus prouidentia ſcientiarum cumulo armata pugnat, cui nec angelorum cuſtodia, nec Dei non adeſt. Ergo & contra damna à ſideribus illata ſideralis ſcientia aliis iuuantibus prodeſt.

3 Fruſtra Deus nobis Aſtrologiam dediſſet,niſi etiam prodeſſet. Sicuti enim oculi,& olfactus,& auditus,& memoria,& cæteræ facultates poteſtatiui,& cognoſcitiui,& volitiui,ad conſeruationem animalis ab authore naturæ donata ſunt : artes verò naturæ ſoboles ad tuitionem vitæ omnes valent, vt commoda conſequamur, & mala propulſemus:Ita etiam ſcientiæ,ſi verè ſcientiæ ſunt, à ſtudioſitate , non à ſola curioſitate inuentæ. Studioſitas enim habet

principia cognitionis à cauſis, vel ab effectibus, vel à ſignis poſitis à natura, vel à Deo eius authore. Curioſitas ab arte tantum ſigna habet. Cum ergo aſtrologica ſcientia habeat cauſas vniuerſales in cœlo,& modificationes earum,vt probat S.Th.3.contr.gent.& inſuper ſigna, & hæc ab effectibus notificata : valde conſequens eſt vt ſcientia ſit ſtudioſitate inuenta, ſicuti ſanctis etiam placet doctoribus Bedæ, Hieronymo, Thomæ, Gregorio Nyſſeno, & aliis. Ergo prodeſt per Aſtrologiam præſcire mala, bonáque:illa, vt vitemus;iſta,vt curemus.

4 Imperitè ergo Fauorinus negat vtilitatem iſthanc : cum (inquit) mala præſcita nos continua angant cura, bona verò præripiant,& cum venerint nõ valde nos poſtmodum lætificent.Si quidem inquam mala præuiſa & facilius tolerantur, vt inquit Poëta, bonáque præuiſa diſpoſitionibus facilitantur. Si enim Romam non petiiſſet Coſſus, cui papatum prædixerat Aſtrologus, papatum non aſſecutus eſſet,vt ipſe vati ſuo iocatus reſpondit.Idem in ſecretis ad Alexandrum ſcriptis reperimus iudicium.

5 Quicumque diuinam prædeſtinationem,quam fatum à fante decreta ſua Deo Stoici dixerunt, in humanis nimium confiderant, hi improuida deſidia capiuntur, ita vt curent nihil.Si enim Deus præſciuit,aut prædeſtinauit me ex infirmitate ſanandum,aut ex infortunio eruendum,aut perditum iri,neutrum euitabo. Ergo non adhibeo medicinas, nec reſpublica artes, nec agricultura vtemur, nec ſcientiæ & leges proderunt. Proſunt autem experientia teſte. Igitur arcana hæc Theologis dimittantur, & Deo, cui ſoli ſuæ operationis & præſcientiæ colligatio cum ſecundis cauſis, & cum libertate humana,bene ſcitur. Nos autem tanquam fato libèri operemur licet.

6 Profecto & Chryſoſtomus diuiniſſimus in libro de fato inquit [Si Deus nos alloquendo dixit : Si audieritis me, bona terræ comedetis ; ſi non audieritis, gladius deuorabit vos; cur ſequamur fatum quod dixit:Siue audieritis, ſiue non audieritis,gladius deuorabit vos?] Deo igitur fides omnino adhibenda,operandúmque ſupra ſcientias ab ipſo datas. Radius enim ſapientiæ verbum Dei:omnis autem ſapientia eius eſt participium nobis.

Et cum dicitur in ſcripturis,Iob 14. [Conſtituiſti terminos eius qui præteriri nõ poterunt] hoc apud Deũ intelligamus de vniuerſaliſſima cauſa,quam nulla impręmeditatio tangit. At cum dicitur alibi,Pſ.55.[Viri ſanguinum,& doloſi,non dimidiabũt dies ſuos:]

de

de diebus à ſecundis cauſis, præcipuéq; ex cæleſtibus accipiamus. Ex hoc enim Deus addit 15. annos Ezechiæ, & demit 14. Anaſtaſio imperatori. Conemúrq; ad dictam metam per medicinam, & alias artes, peruenire. Cætera curet Deus, cuius auxilium numquam & nullibi non captabimus, dum iuxta ſcientiarum eius ſplendores incedimus, iuxta illud Pſ. 118. [Lucerna pedibus meis verbum,] &c.

Remedia vniuerſaliſſima contra fatales euentus reperiri in Deo ſcientiarum propter hoc nobis authore, & in ratione inuentrice.

ARTIC. II.

1 PRimum remedium ad vitanda fata in Deo eorum authore habemus. Non enim, inquit Seneca, totum genus humanum ad hanc perueniſſet conſenſiſſétque inſaniam orandi Deum pro vitandis malis, captandíſque bonis, niſi duce naturæ Deo, qui nec mentiri nobis, neque ſe ipſum negare poteſt. Quas ob res non modo Ptolemæus in primo quadripartiti ex Chaldæorum traditionibus ad orationem pro vitando ſiderum influxu recurrendum docet, ſed etiam D. Thomas in 1. p. quæſt. 110. rationem addit optimam. Quoniam ſcilicet Deus eſt fatorum author, omniúmque cauſarum cauſatio, ex quibus nectitur fatalis ſeries ab ipſo dependens. Iccirco qui ſe ad Deum erigit ſupra fatum euehitur, fatalibúſque ſe ſubtrahit euentibus. quemadmodum qui regis amicitiam auxiliúmque captat, decreta iudicum, & principum regi ſubditorum, euadit.

2 Nec propterea non dare poſſe putandus, quæ petimus, quoniam non optimis, orantibúſque dat, vt Ariſt. & Seneca ſibimet contrarius [in libro, cur mala bonis fiunt, ſi Deus prouidet] docebat: quoniam ſemel iuſſit, ac ſemper propriis iuſſis paret. Nec ergo precibus flectitur vllis. Vnde Theologi noſtrates neceſſitate hypothetica illum operari volunt. Hoc enim de toto ambitu fatali intelligas oportet. alioquin non diceret, Io. 16. [Orate, pulſate, & aperietur] ſi & ipſe fato ita ligatus eſt ſuo, vt non poſſit dare. Ita etiam fato potius decreuiſſe putandus, vt det: & eius cum fato colligatio nobis ignota. A remedio tam potentiſſimo nos non remouet, ſed aduocat, dicens [Petite, & accipietis.] Ergo ſi

prodeſt ægris medicina, non officiet miſero Theologia, nec fruſtra datur, &c. Electionem orationis in antecedenti libro tractauimus.

3 Secundum remedium eſt omnia facere ſecundum rationem. Ratio enim prima Dei Deus eſt,à qua ſumus omnes naturali principio rationales. Et hanc innatam ſectando rationem captamus nobis rationis diuinæ auxilium, ſicut illicibus cæterarum cauſarum cauſationem.

4 Vnde in Metaphyſica ſcripſimus de vita diuinitus comparanda, & de vita angelitus comparanda, & cœlitus, & diabolitus, & humanitus, & beſtialiter. Quas verò res imitamur, nobíſque adhibemus ſymbola, eis ſimiles euadimus. Vnde Pythagorici animas hominum in beſtias tranſire, & in angelos, & in dæmones, hac ratione dicebant, non, vti vulgus intelligit, per tranſmigrationem.

5 Ratio omnes inuenit ſcientias. Scientiis ergo vti eum oportet veracioribus, non ſophiſticis; operatiuíſque, non verboſis, qui ſubtrahi malis cupit. Agricultura enim & paſtorali contra famem vtimur: veſtiaria contra frigus & calorem: fabrili contra hoſtilia noxiáque: medicinali contra morbos. Et qui hæc tractant, magiſtri vocantur:qui verò omnes callent ſcientias, vnde artes rationem & inuentionem habent (nam & quæ vſu inuentæ diuina ratione ſuggerente inuentæ putari debent, ait Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 5. licet alibi artes à philoſophia non agnoſcat) magi dicuntur, vnde magiſtri, quemadmodum à ſurdo ſurdaſtri & à philoſopho philoſophaſtri denominantur.

6 Conſiderandum quod cœlum non ſignificat tantum quæ Deus decreuit, & angeli exequuntur (ſic enim ineuitabilia eſſent euenta:) ſed agit inſtrumentaliter, calore, lumine, aſpectu, motu delatiuo virium impulſiuóque. addit ſanctus Auguſtinus afflatus ſidereos, & D. Thomas inſuper efficacitates, ſiue naturales aptitudines, quibus ſecundum cœlum alius eſt efficax ad militandum, alius ad medicandum, alius ad venandum, alius ad agriculturam,&c.& in hoc fortunati ſunt. Verumtamen quoniam effectus iſti ſunt à Deo tanquam principe cauſa, ab intelligentiis abſtractis,tanquam à miniſtris eius ideas operando imitantibus,& res ita naturales moderantibus, & à cœlo tanquam ab inſtrumento & ſigillo intelligentiarum, variis motionibus & ſitibus applicato ad elementa elementatáque, non enim exiſtimandum (vt doctiſſimè

ctissimè monet sanctus Thomas in primo, secundo, & tertio contra gentes, quod actiones, & passiones, & formæ accidentales, & substantiales rerum inferiorum sint ab angelis nisi corporaliter exhibitæ: potiùs autem causatæ: quoniam agunt non cum imperio, sed per corporalia instrumenta: corporatio autem, & effectus per corpora editus, à corporeis causis potest iuuari, & impediri. Iccirco omnis cœli influxus & vis iuuatur, & tardatur, & acceleratur, & modificatur, & minoratur, & augetur, & hebetatur à causis inferioribus, receptiuísque vasis.) Principia quæ nos tradimus de vitandis euentibus per subtractionem & inhabilitationem receptiuorum, captandísque per applicationem & præparationem, secundum rectam philosophiam & magiam physiologicam pertractari putaueris,

7 Nunquam obliuioni trades, quod sæpe diximus in præcedentibus libris, quod vniuersale vincit particulare, & totum partes. Iccirco si in bello aut naufragio naue vectaberis, quamuis modicam significationem in genesi habeas mortis, non effugies. propterea aque semper toti tuto tu pars imbecillis adhærebis, & à toto periculoso tu semitutus sequestrabis te. Non enim frigus æstiuo in tempore nocet, nec calor hyeme: quoniam modicus est ad totum frigus. Similiter nec carcer ætati puellari, aut Carthusiano imminens cœlitus nocebit. Tempora ergo, & ætates, & temperamenta, & communitates, & singularitates comtemperare condiscito, vt ex sequentibus intelligere licebit.

Distinctio malorum in vniuersalissima, vniuersalia, particulariora, & particularissima.

CAPVT II. ARTIC. I.

1 COElestia mala vel bona nobis quædam sunt vniuersalissima, vt dies, nox, æstus, hyems, iter, fames, sitis. Hæc enim calore ad cœlestia reducente cum tenuitate è nostro educta corpore fiunt.

Quædam sunt vniuersalia, vt pestis, bellum, penuria, bruchus, grando, pluuia, nix, tonitrua.

Quædam particularia, vt naufragium, tranquillitas maris, & aëris in nostro littore.

Quædam

Quædam particulariora, vt in aliqua familia ſcabies, incendium, vituperium, honor.

Quædam particulariſſima, & in ſingularia, vt occiſio Petri, morbus, pulchritudo, carcer, exilium, honor, ſtuprum, & cætera huiuſmodi perſonalia.

An contra vniuerſaliſsima ſit remedium, & quando.

ARTIC. II.

1 VNiuerſaliſſima vniuerſaliſſimè vitari non poſſunt; ſed tamen particulariter: quoniam recipiuntur ſecundum diſpoſitionem recipientis. Qui ergo contra euentus, vel ad euentus illos ſe aptauerit, aut effugiet, aut apprenſabit. Iccirco cum cœlum abſentia Solis noctem immittit, in noſtro hemiſphærio toto diem non poſſumus facere, ſed intra noſtrum domicilium accendendo lucernas Solis vicarias per artem, quam pyrotechniam dicere poſſumus (qua arte carentes beſtiæ irrationales non poſſunt contra mortem ſibi ipſis comparare iuuamen medelámque) nobis conſulimus. Cùm autem volumus diem vitare, clauſis domiciliorum opacorum portis feneſtríſque id aſſequimur. Similiter etiam cum calor vrget Solis, declinamus aſpectum intra nemora domiciliáque abditi: cum ſæuit frigus, ignem quem de lapidibus aut lignis ſopitum excitamus, ligníſque fouemus, retinemúſque, ne ad cognatum totus eleuetur æthera, nobis pro remedio adhibemus. Thermas (hodie ſtufas dicunt) fabricamus, arte ignem frigoris expulſiuum retinentes. Similiter contra ventos, parietes, & antra; ad ventorum defectum ventilabra, & flabella facimus. Itidem contra famem, ſitímque, ſegetes, fruteta, animalium cuſtodiam, venationémque inuenimus, aquarum fontẽ, &, vbi deſunt, puteos, & iis deficientibus ciſternas condidimus, & liquores ex vuis, & pomis, & tritico, & hordeo, confectos in doliis ſeruamus. quæ omnia brutis deſunt, quoniam & eis ratio deeſt. Atque inſuper molendinaria pannifica, & coquinaria, vt commodiùs adhiberi queant, quæ per artes iam dictas comparauimus, vti edocti ſumus.

De

De vniuersalibus, & particularibus, & infra citandis.

ARTIC. III.

1 VNiuersalia vniuersaliter aliquando vitantur. nam contra penuriam exSolis sterilitate, & diris eclipsium & maleficarum vi dominióque, adest mercatura,qua ex longinquis regionibus vbi abundant frumenta aduehuntur: vel contra præuisam famem horrea implentur, vt Iosephus in Ægypto consuluit: vel migrant alij ex sterili in fœcundam regionem.

2 Contra pestem consuluit medica scientia,quæ ignibus odoratorum lignorum,& sonitibus purgat aërem,aut aquas, aut fœtentia cadauera:vt in 6.lib.medicinalium docuimus.

Item migratio de ciuitatibus in nemora & siluas,& rerum quæ contagia retinent combustio.

3 Contra bella pax,& confœderatio,& auxilia,& arces, & fuga, & secreta bellum mouentis extinctio, & vltroneum iugum,quale Sedeciæ Hieremias consulebat.

4 Contra bruchos, aliásque bestias, sunt prouisiones multæ,vt arma,& ignis.

5 Contra grandines,niues,& pluuias, sunt tecta nobis, ædificia. at fruges non defendemus,sed aliunde procurabimus.

6 Contra tonitrua adhibent laurum, marini vituli corium. sed quis tanti æui est, vt posset ista vniuersaliter expertus fuisse? at veterum sentẽtiæ possunt errasse, sicuti etiam omnes allio magnetem affricatum non trahere ferrum,& sagittas plũbeas in aëre volantes liquescere veteres dixerunt, Arist. Senec. & innumerabiles. Nunc autem nec magnes allium timet,nec glandes plumbeæ igne sclopeti explosæ,imo nec cæteræ, liquescunt: potius autem indurantur nouo continuo aëre nouum frigus, vt ventilabro probamus,adhibente.

Ædificia soliditate robusta & ferrea prosunt magis. Sed quis à fulmine metalla in inuisibilem conuertente tenuitatem nos tuebitur? Sunt quidem contra terræmotus fossæ, per quas vapor exhalans propinqua minus subuertit. At contra fulmina locus imus frigidæ regionis, vbi fuligo & vapores tenuissimi cum crassis agglomerari non solent.

Verumtamen facilius ifthæc omnia declinabit homo vnus, aut familia, habitaculum regionémque mutando.

8 Particularium quorumdam fatum facilè vitatur. Sic enim Aſtrologus, quando videt naufragium, non nauigabit. Item quæ procellæ & qui venti quæ maria infeſtant, qui nouit, probè cauet. A Charybdi & Scylla valdè metuebant priſci nautæ. Oceanus verò extra Gades per 5700. ferè annos totam deterruit antiquitatem poſitis columnis, ne vlteriùs. Nunc experimentis ex multis collecta arte nauigant abſque periculo. Morbum venereum incurabilem à principio putauimus, nunc facillimè curamus. Ventos, ac tempeſtates prænoſſe oportet, & quibus in regionibus, quæ, & quibus temporibus fieri ſolent. tunc enim omne periculum ac timor arti rationíque cederet. Non ergo propterea non vitamus mala, quia ſunt ineuitabilia: ſed quia artes negligimus: aut quia non plenè acquiſiuimus quibus vitantur. Nullum enim malum abſque remedio permiſit Deus. Non imitabile fulmen contra Salmoneum cecinit Virgilius: at nunc bombardis modico imitamur labore. Vt autem artes communicent, & bona terræ, oportet ad vnius imperium genus humanum redire totum.

9 Quæ autem minus particularia dicuntur, vt ſcabies, incendium, fama, ſi præuiderimus euentum, vt cauſas propinquas, remedium res ipſa habebit: ſi ſolum vniuerſales, vt ſidera, tunc conſiderabimus, quibus à proximis adiuuari queant: ea ratione, qua genus mortis, & tempus, in lib. 5. inueſtigabamus. Hæc etiam cum venerint propria habent remedia.

Ex iam inuentis plura adhuc inueniri poſſe remedia contra omnia mala docemur: & principum vitio negligi, tardaríque: & quid agendum.

CAPVT III.

PRofectò regum eſſet artes ſpeculatiuas, ac mechanicas excolere, multiplicaréque. id quod facile fit propoſitis præmiis laborantibus. omnia enim Deus ſubiecit hominis ingenio, ac ſimul labori. In noſtro ſæculo vſus magnetis pro nauigatione Oceani illuxit Flauio Amanfirarco. Contra barbaros, & feros inſuperabiles, artilleria, qua Iouem tonantem imitamur. Contra

obliuio

obliuionem, & ignorantiam, typographia. Additum est telescopium, vt cœlestia scandamus, & extra cœlum systemata per astrologiam notorum ignota considéraremus, & amphitheatra mirifica, in quibus Deus suæ potentiæ, & sapientiæ, & amoris diuitias repræsentat, quasi in tot scenis, quot systemata sunt, intelligeremus. Illuxit noua physiologia, noua astronomia: & abdita mundi medietas agnoscitur iam. Deest ars volandi, quæ facilè innotescceret, si funambulis quid sapientiæ adderetur. Spero etiã sicuti stellas nouas ocularia noua in lucem eruerunt, ita musicam cœlorum, quoniam omnis motus sonus est, vt alibi probauimus, propediem auriculare organum pandet. Vtinam principes omissis antiquorum ridiculis scientiis nostrum seculum fouerent ingeniis. nihil enim erit, quod ratio humana non vincat. At sophistæ scholas occupant, indocti ad inueniendum, parati ad vexandum veritatis inuentores. Propterea non mirum, quod adhuc omnia, quæ Deus offert remedia contra fatales calamitates, non eluceſcant.

Porrò nec regibus, nec multitudini suademus boni quippiam. Propterea præmissa exhortatione ad particulares descendimus, eos nimirum, qui veritatis saporem amorémque habent, metu, inertia, & incredulitate soluti: ex horum enim experimentis, & vexationibus in bello sophistarum, & mortibus discet mundus vel mortuos diligere, imitaríque benefactores suos: sicuti semper consueuit odisse viuos, coluisse peremptos.

De vitandis malis ab eclipsi imminentibus.

CAPVT IV. ARTIC. I.

1 CVm eclipsis, siue solaris, siue lunaris, fit supra terram in qua habitas, si interregnant maleficæ in angulis, & in locis Luminarium, regioníque malum minantur, non autem tibi: mutabis regionem. Mala enim communia etiam in particulares grassantur, quatenus sunt communitatis pars. Similiter & bona. Abscinde te igitur à toto.

2 Subiicitur malis ciuitas, vel ex proprio horoscopo aphetáque suæ originis: vel ex regionis trigono apud Ptolemæum: vel ex climatis ratione, sicuti nos in 2. libro docuimus.

3 Si primum, mutabis ciuitatem; si secundum, regionem; si tertium, clima. semper autem eo secedes vbi vis cœlestis constitutionis aut fauet, aut non nocet.

4 Si eclipsis tibi particulariter infausta est, quoniam in locis apheticis, præsertim horoscopo, & Luminarium, fit interregnante malefica; vel malefica in locis apheticis reperitur, & angularis, aut in locis directionum apheticarum: tunc vide an consentiat malum commune cum particulari nécne. Si enim consentit, difficile euades, nisi mutata regione, additísque sequentibus cautelis: sinon consentit, ita operabere.

5 Cum instat eclipsis siue nocturna, siue diurna, & semina tibi pestifera in aëra spargit, fructificatura statim si in horizonte regionis celebratur; post 6. menses, si in M.C. post 12. si in septima: tunc omnem adhibe diligentiam, ne sparsa semina in te radices figere queant statim ab initio, siquidem granum frumenti, aut sinapi, aliáque semina nisi inuenerint aptum sibi solum, radices non agunt, aut quàmmodicas, vt fructum ferant nullum, vel parum, vel non crescant. Cum enim Athenas funeribus repleret dira pestis à Thucydide, ac Laërtio descripta, Socrates, cui temperantia irrita cœli semina in suo corpore fecerat, inter ægrotantes impunè conuersabatur. Pinguedo & succorum copia facilè suscipit morbi causas.

6 Satage ergo primum, vt temperatè, secundum rationem, & quàm proximus Deo viuas, per orationes & sacra illi te dedicando. Secundò domum clausam vndique, ne aër alterius subeat, asperges aceto rosaceo, & aromatum odoribus: ignem adhibebis in lauro, myrto, rosmarino, cupresso, aliísque aromaticis lignis accensum. Hoc enim nihil validius ad opera cœli, etiam si à diabolo ministrantur, venefica dissipanda.

Tertiò pannis albis, sericeis, & fælicibus ramis ædem adornabis.

Quartò accendes luminaria duo, & faces quinque, qui cœli planetas repræsentent, & cum deficiant in cœlo, non desint, qui tibi vices eorum gerant in terra. sicuti in nocte abeunte Sole lucerna eius vices supplet, vt non desit ablatus dies. Sint autem aërei ex aromatica confecti mixtura. Síque duodecim signa etiam imitatus fueris, philosophicè, non superstitiosè, vt vulgus arbitratur, incedes.

Quintò adhibe socios amicos, quorum genesis eclipsis malo iuxta aphetas subiecta non sit. Multum enim prodest conuersatio contraria, aut consimilis euentui. Illa fugat, ista accersit euentum.

Sextò musicam iouialem & veneream apud te habebis, vt aëris malitia frangatur, & beneficarum symbola excludant maleficarum stellarum vires.

Septimò

Septimò quoniam reperiuntur cuiusque sideris symbola in lapidibus,& plantis,& coloribus,& odoribus, & musica, & motionibus,sicuti in 5.lib.medicinalium docuimus:eos adhibebis illices, qui beneficarum alliciunt vires,maleficarum fugant.

Plurimum valent stillatitij liquores, astralitates extractæ adhibitæque secundum rationem, vt dictum est, & in 3. parte metaphysicæ.

7 Hæc facies tribus horis ante principium eclipsis,ac tribus post finem,& donec beneficæ peruenerint ad angulos,& robur assumpserint.

8 Cum verò bonum pollicetur eclipsis,captandum est,adhibendiq; illices, vel iouiales,vel venerei,vel martiales,quemadmodum de his, quæ de vita cœlitus comparanda disputauimus.& vt in secundo medicinalium docebamus.

De effugiendis malis à cometa inferendis.

ARTIC. II.

1 DIfficilius autem est cometarum minas euadere.Non enim quando & vbi orituri sunt præuidere possumus, nisi coniectura suspicaci ex præuisis serenitatibus,& constitutionibus cœli portentosis. Imò nec ipsorum principium cum venerint satis constat.Nec enim vtrum sub terra,& in qua domo, signóque, an supra terram nostram originem habuerint quispiam prorsus se deprehendisse iactet. idcirco ad lunationem spectro præmissam recurrere Astrologorum mos est.

2 Cum autem apparuerit, eius naturam examinabis, tum ex cœli themate in præcedente plenilunio, vel interlunio, & angularium planetarum natura, tanquam ab extrinsecis : tum ab eius motu, figura, colore, situ, magnitudine ac dispositione. Tunc agnito quid portendat mali, & cui immineat regioni verticaliter, & horizontaliter, & cuius signo & aphetæ : mox verò an tuis aphetis & directionum locis prosit, vel obsit:remedium inuenies conciliando per alios tibi influxus, cum fauent;fugando, vel fugiendo,cum nocent.

3 Profecto non subito effectus illius apparent, nisi orientali angulo tuæ regionis primò fulserit. idcirco fugiendi tempus habes ad regionem vbi non comparuit. Sin fuerit angularis, tibíque fu-

ga impossibilis est, ea seruabis, quæ in eclipseos euentibus seruanda esse dicebamus.

4 Principum est communi calamitati consulere, siue pestis, siue fames, siue bellum à cometarum decreto immineat: priuatorum verò amicus quisque sibi.

5 Quoniam cometes martialis bella ciet, populorum auersiones,fames, sterilitates iuxta naturam signi, & non martialibus hominibus obest plurimum : saturninus super vetustorum res & ædificia significationem habet : nocétque venereis, iouialibúsque hominibus : Mercurius super litteratos, & scríbas, & mercatores: Iupiter super sacerdotes & leges: Venus super pueros,& fœminas, pulchra,& delicias significat : considerabis quorum numini te tua genesis,& mores, & actus, & professio conscribit, & tunc quid & quomodo vitandum restat curabis.

6 Cum fulget in cœlo tibi infestus cometes,seminales vires, ne radices in te agant,cauebis,eodem ritu quo in abditis per ignes & liquores, & odores, & musicam, & conuersationem ab eclipsi te subtrahebas: Hoc autem difficilius est quoniam longo tempore fulget : pauciſſimi enim non ad 20. dies perseuerant. At quoniam interdiu minus nocent,sed noctu, nulli non facile erit nocturnas obseruationes obire.

7 Non modo quidem simulabis cœlum cum planetis signísque intra cubiculum, sed insuper addes cometæ simulacrum ex aëreis medicatis, vtiliter quod tibi fulgeat eo in situ & motu proficua fulsione noxiam temperante. Cætera vt supra.

De vitandis malis à cœlo, & nascitvrorvm, & natorum, generatim.

CAPVT V. ARTIC. I.

1 DE planetis non est consilium,vt nascaris fortunatus. Non tua, sed parentum est cura, qui seminare tunc statuent, cum Luminaria sunt in angulis beneficorum satellitio associata, aut beneficis occupantur anguli, & significatores salui sunt à maleficis, in bona configuratione ad Solem, & ad mundum, prout in dialogo de ciuitate Solis considerauimus.

2 Cum autem natus fueris, collige ex cœlesti constitutione, an infortu

infortunium tibi in qualitatibus animæ, aut corporis, aut fortunæ exterioris ſignificatores, promiſſoréſque portendant. Quod autem tibi dico, genitoribus dico.

3 Infortunium animæ peſſimum eſt ignorantia, quam diſpoſitiuè dat cœlum, & pigritia: ſecundò iracundia, & leuitas, inconſtantia, cæteráque vitia, ad quæ ex temperamento animus inclinatur: vt libido, ſterilitas, timiditas, &c. huiuſmodi.

4 Ignorantia ex temperamento prauo, ſpiritibúſque craſſis, ſtupidis, fuliginoſis in male affirmato cerebro habitantibus difficile tollitur. Sed qui hac indiſpoſitione laborat, non debet proprio viuere arbitrio, ſed alieno.

Præſtat ergo religioſorum monaſteriis includi, & parere recta monenti. Obedientia enim nulli non eſt naturalis, quoniam amor & timor cunctis innaſcitur. Obedies ergo, vel amore, vel timore, qui aſſuetudine in amorem tranſit. Quod ſi familia ſapientum, quales ſunt Dominicana, & Franciſcana, te non acceptabit, Ieſuitarum, & fratrum Iois de Dios, vel illæ meliores ad ſeruitutem præſtantiorum. præſtat enim indocto miniſtrare quàm miniſtrari, vt in ethicis probatur.

Præterea conuerſatio cum viris doctis te doctum reddet, vel ex parte. Etſi enim coram tibi ſemper videris ignarus, cum in aliorum incides cœtum, agnoſces te ſupra vulgus ſapere.

Si verò mediocre ingenium habes, nec per te aliquid melius reperire potes, optimorum ſcholæ te dedicabis, qualis eſt Thomiſtarum, & Platonicorũ. Non parum enim ſapit qui aliorum doctrina ſapit, quamuis ad ipſorum eminentiam nunquam ſit aſcenſurus. Hoc memento, ne ingenia præſtantiora damnes, quia inuentis addunt vel doctrinam, vel correctiones.

5 Contra pigritiam elige exercitatam vitam, & aliorum ſtimulis vtere.

Contra iracundiam manſuetis te coniunge.

Contra timorem fortibus. ſempérque ad extremum declinabis, vt in medio conſiſtere queas. Nam licet perfectus non fueris, tum & hoc cognoſces, & ratione corriges, quod ſenſus præcipitat. Vidimus enim libidinoſos in niuem & ſpinas ſe proiiciendo in actu libidinis excuſſiſſe cupidinem.

6 Adde etiam rationem vitæ contrariam. Pituitoſi indigent cibis calidis, acribúſque, vt naſturtio, ſinapi, vino generoſo, pipere, allio, volatilibus, & ſilueſtribus. Iracundi bilioſi ſunt lacticiniis, lactuca,

lactuca,paſtulaca, porcellis, & huiuſmodi nutriendi. Etenim temperamentum, & aſtralitas paulatim mutantur cibis, aëre, & potibus, & locis, operationéſque conuerſatione, vt dictum eſt. rectè Horatius.

Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator
Nemo adeo ferus eſt, vt non miteſcere poßit,
Dummodo culturæ patientem commodet aurem.

Ratio diuina gubernat cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt.eius participium nobis ſufficit ad noſtri corporis gubernationem. Cætera ex libris medic.noſtræ arcanis curabis.

7 Si corpori mala ab aſtris imminent, medicina commodiùs ipſa curat. Ad hecticam enim propenſi humidis cibis, locis,potibus, & lentis exercitiis, & rore curant. ad mala ſaturnina iouialibus, ad martialia venereis illicibus vtendum declarauimus. Omniáque remedia applicabis per electionem conſtellationis, vt in hoc volumine, & in medic.docuimus.

8 Si ſterilitatem tibi aſtra minantur, noli accipere vxorem, nec generationi vacabis:ſi malum ex copia ſeminis,ſubtrahe cibos ſemen augentes. Sunt alia remedia à medicina, alia à Theologia. idem de cæteris iudicium eſt proportionaliter.

9 Si fortunarum damna times conuerſare cum fortunatis hominibus, & qui tuam poſſint ſubleuare miſeriam. fuge à miſeris, mendicis, & facinoroſis. Vel te in illorum cœtu ita conſtitues, vt mala in bonum vertantur.

Siquidem qui partem fortunæ Saturno adhærentem habent, intrent religionem mendicantium. Sic enim conſtellationi ſatisfit, & honor & pax & præmium fit, quod damnum dedecúſque ferebat. Si carceres times, Carthuſianus eſto.

Si exilium, miles, aut tabellarius, aut nauta. Populus lippi regis futuri ex oraculo, ſi vrbem intraret, ſtatuam intra mœnia coronauit, vt ſibi & oraculo proſpectum eſſet, lippo ablegato, non irrationabiliter quidem. Dæmones enim à ſtellis futura præſagiunt, vim oracula fundunt.

10 Valde prodeſt loci mutatio, aut conuerſationis, aut profeſſionis: & cum fortis eſt impetus naturæ, aliis te committe regendum præſtantioribus, tuas affectiones illorum rationi, non tuam rationem illorum affectionibus ſubiiciendo, vulgi ritu, cum certiori detrimento, caſúque.

Tempora

Tempora peculiaria applicandi remedia ad captandos vel vitandos euentus ſiderales ſpeciatim.

CAPVT VI. ARTIC. I.

1 CVm promiſſi euẽtus inſtat tẽpus,quod eſt infallibile,ille annus,menſis,& dies,& hora,cũ directio,progreſſio,& trãſitus fauentis ſtellæ,tria hæc,cõueniunt ex parte cœli agentis:multóque magis ſi eclipſis, aut cometes concordat : ac altera tria ex parte recipientis,videlicet ætas, temperamentum,& anni tempus(adde regionem,& proprias præparationes ex vita,& conuerſatione,& profeſſione:)tunc paſſioni malorum te ſubtrahes,bonorũ te applicabis.

2 At verò ſæpe illa tria diſcordant : quoniam tranſitus & progreſſio anticipat,vel contra. Idem facit eclipſis & cometes.

3 Similiter promiſſoris motus celer , aut tardus, aut ſtatio & retroceſſio.

4 Situs quoque angularis : & ex parte orientali accelerat : & ex occidentali, & extra angulum moratur.

5 Itẽ dignitas & robur accelerant:imbecillitas & abiectio tardãt.

6 Præterea ſi fixa, vel alia ſtella eiuſdem ſectæ, reſpiciat, promiſſionem accelerat;ſi diuerſæ,procraſtinat.

Similiter luminis proprij,vel mutuati,augmentum anticipat,decrementum tardat.

Pariter etiam altera tria ex parte recipientis.quando enim omnia cita non concordant cum conſtellatione,tardant aut minuunt euentum : quando quædam, ex parte : quando concordant, accelerant. Si enim ſaturnino imminet à cœlo infirmitas , ſeniorem, & melancholicum , & in autumno vel hyeme , & in regione ſubdita Saturno, & in ſaturninam vitam ducentibus,quales ſunt monachi , facilè , & citius lædet : ſed non adeo nocebit , vt puero iouiali , & contrariam vitam agenti, niſi tanta ſit contrarietas , vt tangi nequeat conſtellationis vi. Conſulenda eſt etiam medicina. Alij enim ſunt morbi puerorum, vt variolæ,& puſtulæ:alij mulierum,vt menſium ſuppreſſio : alij iuuenum, vt tertianæ : alij ſeniorum,vt tuſſis. Hectica quoque & phtiſis vſque ad 36. annum ſolet graſſari:epilepſia & apoplexia vſque ad 24. quod tempus ſi tranſierit, perennatur. Similiter & in aliis anni tempeſtatibus alij regnant morbi:vt in æſtate febres ardentes, & bilioſæ : in vere mitiores, & exanthemata : in autumno atrabilioſi , & aliæ ſuppreſſiones : in hyeme pituitoſi. Similiter ſe habent regiones calidæ,mediæ,& frigidæ.

gidæ. Considera temperamentum: quoniam sanguineos morbus saturninus non adeo afficit, nec citò, sicut martiales. Et quoniam de his omnibus in 4. & 5. medicinalium sermonem fecimus, non est immorandum. Intimata quippe sunt modo, vt tempus euentus sit certius ex consensu, & dissensu.

Quo tempore, quæ remedia, ad morborum corporis effugium conueniant: & vnde natura morbi, vt naturam remedij consequaris, agnoscenda.

ARTIC. II.

IGitur cum directio maturatur promissoris ad significatorem iuxta decreta radicalis constitutionis, paulò antè te parabis ad euentus effugium.

Si enim infirmitas timetur, considera cuius generis sit. Alia enim ex inflatione, alia ex distillatione, alia ex inflammatione, alia ex frigefactione, alia ex putrefactione, alia ex rarefactione, alia ex repletione, alia ex exinanitione ortum habet: quarum formas generationis, & genesim, itémque causas interiores, & exteriores in 3. medicin. docuimus, & in 6. in praxim deduximus. Tunc alimentis vtere & cœlo, & domicilio, & conuersatione contrariis naturæ morbi, vt cum morbus irruerit non habeat facilem aditum, nec fomenta. Maximè autem cauebis eo mense, & hebdomada, ac die, quo magis causa timendi. Regula Hermetis, & Galen. ibi à nobis in compendium redacta docet, vt cum à Saturno morbus expectatur iouialibus debilitetur & vitetur pharmacis: cùm à Marte, venereis. Peculiaris autem morbi natura ex configuratis astris, & signo, in quo fiunt constitutiones, & ex dispositione directionis, & dominio termini, & signi agnoscitur. Cognita autem peculiari morbi natura facile est remedium adhibere iuxta præfatorum decreta dogmatum in medic. Semper autem memento, vt ætatem, regionem, domicilium, anni tempus, temperamentúmque extra naturam morbi consulas. Idémq; in omni obseruabis euentu.

Ratio vitandi carcerem.

ARTIC. III.

1 CVm carcer timetur, occasiones vitabis, & causas. Occasio sunt rixæ, & peccata in proximum, & in rempub. & conuersatio cum sicariis, & ad rixas promptis & arma. Causa sunt iudi-

ces,

ces,& ſuperiores.Igitur vel in villam ſecedes,vel in monaſterium, vel in aulam mitis principis,& vbi occaſiones minus vigent. Et,vt ait Iſaias Propheta,abſcondere, donec pertranſeat indignatio Domini. Iudicum, & iuſtitiæ miniſtrorum, vultum & conuerſationem vita, præcipuè ſaturninorum, martialiúmque: itemque eorum,vti occaſio naſcitur,quos ex diſpoſitione,& ſigno, & ætate,& tempore,& aliis ſupra relatis dignoſcere potes,vt alibi.

Ratio vitandi principis iram.

ARTIC. IV.

SI inimicitiam principis incurrere ex directione M.C. ad Solis diametrum diſponente malefica metuis,à facie principis longè abeſto:& quæcumque illi diſplicent ne fac:& inimicorũ eius ſodalitium effuge:& præuiis obſequiis,& ſcriptis in principis bonum,te præmunies. Plurimum profuit nobis de Hiſpani regis monarchia ſcripſiſſe. Tempus,locus,& res,alia ſuppeditabunt remedia.

Ratio vitandi vulnera,neciſque violentæ pericula.

ARTIC. V.

CVm vulnerum violentæque necis tempus expectas, conſidera quibus de cauſis. Has enim directionis locus dominus termini,& diſpoſitor præcedens,& ſubſequens,prothanatus,& natura ſigni,indicabunt.

Periculum à veneno quî euitetur.

ARTIC. VI.

SI à veneno imminet periculum, antidota optima parabis. Mithridates venenis ſe ita aſſuefecerat,vt cum propinarentur, nequaquam læderent. quotidie nucem cum fico & rutam abſumebat. Cauebis à locis peſtilentibus & fœtidis,& vbi peſtis iam graſſatur,& à venenoſis animalibus,& medicis impiis, à ſeruis, & mulieribus ſubdolis,& veneficis, & lamiis. Victum & pharmaca nonniſi à fideliſſimis,Deumque timentibus, & tuorum inimicorum à commercio alienis,accipito. Cætera,vt ſuprà.

A vulneribus.

ARTIC. VII.

SI à vulneribus periculum eſt, bellum omnino effugies & ſicarios:cum religioſis & mitibus ambulabis: & à frequentia te populi

puli ſegregabis. ait enim Eccleſ. Arma & gladij in via peruerſi. Qui cuſtos eſt animæ ſuæ,longè recedet ab eis.Prodeſt thorax ferreus,& lorica. ſed nihil marchionem Rudiorum à glande plumbea tutatum eſt. Amicitia profuiſſet,& abſentia longa,& religionis profeſſio magis.Donec ergo tranſeat conſtellationis vis omnia adhibebis remedia, quibus ab occurſu malefico præmuniare. Clauſis ianuis per menſes duos viues. Et vnde poſſit imminere malum proſpice, & caue quando tempore anticipare, & poſtponere effectum directio queat.

Equidem hac ratione Ioannem Alphonſum ex virtute filium ab occurſu diametri Martis in Lunam aphetam me ſeruare putaui: licèt poſtea eadem mihi ſuperueniens directio iter, & ægritudinem vtrique,mihi verò inſuper carcerem, attulerit eodem anno 1626.Non enim omnia cognita remedia adhibere potui.

Ne cadas, & ne quid ſupra te cadat, cautela.

ARTIC. VIII.

1 CVm ex alto caſus tui,aut ponderoſæ rei in caput tuum, Saturnus ex M.C. vel I.C. minatur, ſolum habitabis, & domos abſque ſcalis,& villam. Item ſub tutiſſimo tecto, & fornice minime caſura,vel ſub dio.

Nec ſcandes arborem caſuram,nec dormies ſub ea,quæ poëtam Horatium penè oppreſſit.Loca vnde lapidũ proiectio timeri poſſit, vitabis: & quicquid ad huiuſmodi tetrahit,declinabis. Nec te illa fatalis Plotini aquila fallat.

A naufragio cautela.

ARTIC. IX.

TImenti naufragium mare, & flumen, & lacus, & nimborum præparatio fugienda ſunt,eo quidem tempore,quo malum ex dictis imminet cauſis. Cauſas habes in præcedentibus libris: electionem tutæ nauigationis in 6.

Cautela contra iacturam rei præuiſam.

ARTIC. X.

REi familiaris iactura, cum fortunæ directio ad maleficas peruenit,haud expectabis:ſed prius vide à furibúſne, an naufragio,an commercio ſit timenda, vt poſſis præparare remedium.

Si

Si à commercio,non vendes,nec emes,nec cum negotiatoribus consortium inibis.

Si à naufragio,nulla bona,nec mercimonia,naui committes illo anno: & cum fortunatis in comparanda re erit negotiatio, & consortium tibi.

Cum fures timueris,eos vitabis,qui ♂ cum ☿ in genesi habent sua:nec seruis, nec amicis, eo anno tua committes bona: nec loco non bene munito:nec fodies thesaurum vbi quis inuestigare valeat consilium tuum. Alia multa tempus,& locus,& res,suggerent munimina. Memento semper quod inimici hominis sunt domestici eius,maximéque filij,ac nepotes,in re pecuniaria: & quidem ineuitabiles.

De secretioribus remediis.

CAPVT VII.

SVnt lapides, metalla, plantæ, colores, sapores, & res aliæ planetarum vires peculiariter sortitæ, quæ contra euentus malos nos præmuniunt certis sub constellationibus adhibitæ. Sicuti pæonica contra epilepsiam, & alectorius lapis contra timiditatem, & herba fugadæmon contra dæmonoplexiam. agunt enim corporalia in dæmones tanquam signa:sed in effectus ab eis in corporibus corporaliter inditos, vt res, auctore S. Thoma. & alia multa, quæ magia naturalis suggerit.

Præterea laminæ astrologicæ ex vi metalli,& speciei,quam mixtura à cœlo trahit,vt inquit D. Thomas in 3. contr. gent. (manifestè enim rebus artificialibus,ne dum naturalibus, vt dicit idem lib. de fato, dat cœlum ordinem & vim: vt patet de bacillis ferreis sub certa positura fabricatis, eandē super subere natante positis sese, vt magnes ad polum,aptantibus ad posituram) valēt ad effectus mirificos: si tamen non in illis confisus prudentiā in cæteris exercueris magorū non magistrorum. Magia enim flos est omnium scientiarum. Nec qui totas non callet,ad tanta remedia aptus est: qui callet per se inuenire poterit quamplurima, quæ nec scripta sunt, & & ego noui. Nec enim diabolus imperium, nec angelus bonus, super naturam habet, sed magia vtuntur applicando actiua passiuis,congruo tempore,cœlo,& re.

Hæc remedia ignaris non pandam, sed ex libris nostris de sensu rerum sapiens intelliget, & ex 3. metaphysicæ: quoniam indocti posthabita prudentia totam in schedis confidentiam ponunt more Alchymistarum, qui non ex philosophia, sed ex schedulis anti-

quorum ſecreta rimantes, nunquam ad artis effectum deueniunt.

Gallum timet leo. Vidi hoc ſæpe. Nec propterea me vnà cum gallo, in eo totam fiduciam ponendo, leoni obiicerem famelico.

Nihil ſalutarius fuga dedit Deus vitaturis malum: poſthæc participij & totalitatis commutationem.

Prudentiæ eſt præuidere futura, ac media, quibus effugiamus, conſequamúrve.

Si minima neglexerimus, etiam aberrabimus.

Omnia remedia in ſcientiis celantur.

Nulla proficiunt conſtellatione, locóque, & illicibus neglectis. Nec enim frumentum ſatum præter tempus fructificat.

Actiones enim haud quaquam elementorum qualitatibus modò fiunt, ſed primalitatum corporatione, concinnationéque ad certos operandi modos. Non enim dens viperæ tumore tanto poteſt afficere, ac morte, quia calidus (hoc enim ignis faceret magis:) nec quia humidus, cùm aqua id non agat: nec quia ſiccus. Ergo ex ſuperiore cauſa ignota, quam vocat Hipp. diuinã, nos autem à primalitatibus, & corporatis. alioquin non poſſent corporalia antidota reſiſtere veneno. Similiter dico aſtralitates operari per primalitatis elementationem, contra quam non poteſt remedium deeſſe, ignotum tamen vulgo, & ſubticendum ex parte.

Cur prædicta remedia non omnibus profuere.

CAPVT VIII.

AT dices nos remedia attuliſſe, quæ in Oedipo, & Plotino, & Vaiuoda irrita fuerunt.

Docet fabula Oedipi, quod per eam viam, qua quærimus vitare malum, incurrimus. Vnde Seneca in tragœd.

Fatis agimur. cedite fatis.
Non ſollicitæ poſſunt curæ
Leuare rati ſtamina fuſi.
Multi ad fatum venere ſuum
Dum fata timent. multis ipſum
Fugiſſe nocuit.

Plotinus etiam dum cauet à ruina ſub dio ab aquila caluitium eſſe lapidem, quo putamen frangeretur, cogitante, teſtudo ruit, necique dedit.

Et publica Bartholomæi Corleæ hiſtoria apud Coirum, cui nec cautela profuit.

Et

Valentin. Vaiuodæ, qui ſcripſit commentarios in Alcabitij aſtrologiam. Is Patauij degens cum gladium ex directione timeret, ſeſe abdidit domi, vndique clauſis portis,feneſtríſque:prius tamen quæ ad victum pertinebant adſcitis per menſem rebus. Latrones abiiſſe peregrè rati, feneſtráſque nummorum cuſtodiæ obſeraſſe, rupto oſtiolo per vim intrantes pecunias rapuerunt,& aſtrologum, clamores aut accuſationē formidantes,interemerunt.quid ad hæc?

Reſpondeo. Credo equidem alios fuiſſe, quibus profuit fugiſſe fatum. Neque enim ad illius effugium philoſophia, & diuinæ literæ,ipſáque natura nos hortaretur,ſi vitari poſſet nihil.Licet autem liber ſit homo in volendo & nolendo; non autem in operando,niſi vbi ipſe eſt cauſa totalis effectuum (nūc enim mihi licitum eſt ſcribere,& ceſſare;non autem egredi de carcere, vel emere prædium, aliáque facere ad quæ aliæ cauſæ requiruntur:) nihilominus haud propterea eſt ceſſandum ab eo, quod poſſumus. Neſcimus enim, vt S.Hieron. diſtinguit, ſítne prophetia prædeſtinatoria,an comminatoria tantum.Scimus etiam quod dat Deus conſilium, & facultatem faciendi, vt non deſideamus, ſed laboremus ingenio manibúſque ad malum effugiendum. Nec quia morbus incurabilis videtur deſerendus eſt æger. Multi enim poſt deſperationem euaſerunt. Nolo hiſtorias negare, nec prudentiam deterrere. Hæc enim Dei eſt ſplendor, nec vanus, nos ad omnia dirigens bona, ab omnibúſque detorquens malis.

Præterea ſciendum, quod principes, & qui Deo proximi ſunt, poſſunt conſulere miſerorum ſorti,ſed neſciunt;ſapientes ſciunt,at non poſſunt; poſſunt alij, ſciúntque, ſed nolunt, negligunt, aut metuunt. Et ſic fatum ſuos ſortitur euentus dum per tot cauſas & concauſas tranſit ſuæ ſeriei ſic annexas, vt quod Deus vult, aut permittit, fiat; quod autem volumus nos, nequaquam,niſi ſic ipſe ſtatuerit. Proculdubio enim fame peribimus, niſi agricultura, & paſtoralis, & venatio cibos præparauerit. Succedit tamen, vt nec iſta ſatis proſint. Quod autem per accidens tam occultum eſt, extra artem prouidentiámque hominis eſt, non autem Dei. Fac tu quod homo. cætera curæ ſunt Deo, qui vt S.Ambroſ.ait diligentibus adeſt, negligentibus abeſt.

Præterea nos hic contra cæleſtes efficientias præſtamus remedia, non contra totam fati ſeriem ſubſtantiámque. idcirco non omnia remedia proſunt omnibus & ſemper.

Adde quod, qui fatum vitare cupit cauſalibus reſiſtendo rebus, nihil cogitans per negligentiam, aut impietatem, de fati authore,

is

is per quam fugit viam incurrit. Sic Laius fato per necem Oedipi filij, & Astyages Cyri nepotis criminosè reniti se posse putarunt. Plotinus autem & Vaiuoda propria scientia, spreto forsan numine. Propterea nil mirum, si remedia cassa vanáque abiere. Hoc idem sæpe in prophetiis declarat Deus. Rex enim Amasias in medicorum arte confisus, & non in Deo, scribitur non euasisse. Similiter Sedecias, & alij reges Iuda, & Israël, corruerunt, dum propriis remediis innitentes prophetarum ex parte Dei monita neglexerunt. Nec Lucifer, nec Adam, nec alius quisquam eo cadit, quia prædestinatur ad casum, alioquin iudicati, non iudicandi nasceremur, ait S. Prosper respondens Fausto: sed qui diuinis mandatis præuisi sunt obstinatè non obtemperaturi. Idem dixit Iupiter apud Homerum, Odysseæ primo.

O facinus! mortale genus nos numina primum
Incusat, fontémque putat, causámque malorum
Quæ veniunt. Sua sed pereunt ob facta nefanda
Cum præter fatum sibi sponte incommoda quærunt.

Prudentia ergo nostra cum suis remediis hic enarratis supposita diuinæ prudentiæ, non autem opposita, qualis est pseudopoliticorum, ac pseudophilosophorum, vim effugit fatalem.

Palàm est etiam, quòd prædicti sapientes non omnia impedimenta malis euentibus parauerunt, quæ humana potest excogitare prudentia.

Electiones ad captandos influxus prosperos in libro secundo tradimus: hic ad malos quantum fas est effugiendos consideraui-mus. Vt verum sit, quod sapiens vtitur astris, vt Albertus: sensualis seruit astris, vt Nero: sanctus dominatur, vt Iosue.

FINIS.

10049098

10048098

10049098

10043098

